



25

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the paper's texture.






PHILIPPO III.
HISPANIÆ, ET
LUSITANIÆ II.

INVICTISSIMO
Regi.

FERDINANDVS MARTINZ
*Mascaregnas, Algarbiorum Episcopus salu-
tem, & eterna. ælicitatem.*

Do sub tuo patrocinio,
PHILIPPE Regum
Maxime, tibi que dico hoc
de auxiliis diuinæ gratiæ
opusculum. Tanto fultum præsidio
despicit calumnias, ridet inuidiam.
Nec verò Maiestas tua, qua nulla, vllò
vtrquam æuo per orbem maior, ampli-
tudinè sua deterret me, vt plerosque
alios; sed magis benignitate incitat, ac
perpellit, vt præter te, nullum alium



rebus meis patronum quaeram, nullum
velim. Atque hæc prior causa, cur a
hunc ingenij foetum offerre tibi, qui
magnus animo etiam magno nec mini-
ma contemnis. Vt insuper libens offe-
ram, altera causa est; ardens nimirum
cupiditas colendi te peculiari aliquo
officio, licet tenui, licet exiguo: est enim
hæc gentis nostræ, hoc est, Mascaregna-
rum genuina propensio (à qua nefas
mihi degenerare) ut in Principes suos
ita sint officiosi, nulli ut alteri familiæ
cedant; ita eisdem puro affectu prose-
quantur, ut præter communia officia
quæ cæteri iure debent, semper aliquid
adjiciant, quo se testentur ipsorum fa-
mulatui esse addictissimos. Sic maiores,
gentilesque mei (nemo ibit inficias) siue
apud Romanum Pontificem legatos
agerent, siue in Conciliis oratores, siue
in India Proreges, siue Reipub. negotia
domi obirent, siue hostem foris debel-
larent, nihil unquam habuere antiquius,
quam ut Lusitanos Reges progenito-
res suos plus diligerent, quam qui mu-
ltum, non minus colerent, quam qui plu-
rimum. En duplex causa inscribendi tibi

has lucubrationes tam audacter, tam
libenter. Addo tertiam, quæ magis è re
mea. Hæc exiguitas operis est. Nō illud
quidem argumento leue, non materia
tenuis, non fructu inutile; imò re amplū,
dignitate illustre; sed tamen & quanti-
tate paruum, & auctoris tenuitate adeò
nullū, vt meritò verear, ne insulsè, atq;
inciuiliter errem; dum illud tanto Mo-
narchæ dicatū volo: nam rigidè monet
Seneca, *acutè dispiciendum, non solum, vt
munus sit eo dignū, qui defert, sed illi quo-
que aptum, cui defertur.* Nō damno Stoici
iudiciū, magis probo: neque enim vetat
offerri exigua, sed inepta; alioquin haud
quaquam neget interdū magnis Prin-
cipibus placere parua, cū regiū planè
sit, esse quoque in paruis magnum. At
ego hoc agelli mei munusculū nō ideò
offero tibi, quòd grāde sit, sed vt sit: ta-
le erit tua signatū nota, ex qua sperat se
vbique gētium fore pretiosum, hoc so-
lū nomine, quia dicatū tibi, sicuti Pli-
nius scitè dixit, *quædā haberi in pretio, ob
hanc tantū, quia templis consecrata.* Quòd
maiora desint mihi, quæ dedicem tibi,
nō volūtatis culpa est, nō industriæ, sed

tēporis, ac fortunę: an. s. enim superio-
ribus, partim cū adhuc Conimbricēnis
Academię Rector esē, partim cū Pon-
tificio iam munere fungi cœpi, cōmēta-
rios, & disputationes apparavi in e. par-
tē D. Thomę, cui nomē i. 2. quo s. cces-
su nō licuit experiri, certē assidua cura,
indefesso studio, exquisita diligentia.
Erat op^o iā in procinctu, ac penē in pre-
lo, tuo destinatū nomini, cū exorta belli
tēpestate perit tot annorū labor, reci-
ditq; in nihilū: nā per id tēpus Anglici,
Belgiciq; piratę nō minūs ab humani-
tate, quā à religione abhorrentes, ne-
fando inter se fœdere cōiuncti Lusita-
nū mare occupabāt, nulli maritime orę
graviūs infesti, quā Turdetanę. Hanc
identidē impetebant, siue quòd illā vi-
derēt propter naturā loci magis oppor-
tunam vastitati, siue quòd intelligerent
minūs esse instructā milite ad obsistē-
dū, longiufq; à subsidio remotam. Fama
erat, ac timor, classē inimicam inuasurā
Lagos, urbē in hoc tractu opibus, &
mercatura nobile. Ad eam iubente p. r.
litteras Rege, collecta primū propriis
expēsis nō exigua equitū, peditūq; ma-


nu, cōfestim aduolo, & Rhotericio Lau
rētio à Tauora Algarbiorū tūc Prætori
in bellicis, domesticisq; negotiis comes
adiūgor. Hīc mihi necessū est nō solūm
Antistitē agere, sed militē quoq; ac du-
cem Procuro in primis sacra, vt res, ac
tēpu exigat. Tunc accingor ad pugnā,
vt sacerdoti fas, atque in omnes hostiū
conatus excubans animo, simul cū Præ-
tore, cuius hīc in rebus omnibus dexte-
ritas, & alacritas maximē enituēre, in-
tendo vigilias, stationes dispono, nouis
munimētis propugnacula diligēter in-
stauro. Exinde confirmo, excito, incito
dubios, ac debiles: ad vr̄bis defensionē
cūctos adhörtor, moneoq; rem sibi fo-
re cura hæretico hoste de religione, de
ari de foris, de fortunis, de liberis, de
honore, de vita ipsa. Aderant subinde
Castellani milites ad duo ferè millia,
aduecti triremibus, vt auxilio forēt vr̄-
bi, quibus cūm cibaria, cōmeatusq; de-
fecissent, suppedito ad vitā necessaria,
eosque tādū meis sumptibus alo, quā-
diu illic cōmorātur. Rebus itaque apte
compositis; cūm iam speraretur potius,
quā timeretur hostiū aduētus, illi nō

ausi Lagos inuadere, metuq; vt opinor,
deterriti, ad loca diuertunt imparata.
Piratica igitur classis opportunā nacta
occasionē, non procul ab vrbe Pharo,
Pontificiē dignitatis in hoc Regno sede
primaria, portum subit. Ilicō prosilit in
terram miles copiosus, ferocia sibi
prædæ cupidus, cruoris appetens, cædis
avidus. Breuiter hostilis acies instrui-
tur; nec mora, pergitur in urbem. Id vbi
nuntiatū ciuibus, ecce de repente turba-
ri, ac fremere omnia bellico tumultu,
lamentari mulieres, eiulare pueri, ad ar-
ma quidam, alij ad rē domesticam cō-
uolare, plerique metu perculsi huc, illuc
ferri palātes, ignari consilij, vix cōpotes
mentis; tādē direpta penē omnia, an-
tequam diruta. Ingruit interim tata ho-
stium multitudo, vt incautis, inermibus,
animo perculsis penitus cedendū sit. In-
uaditur ergo vrbs duce, ac milite penē
deserta; occupatur breui ferē sine præ-
lio, non tamē sine sanguine, nō sine cæ-
de. Hostes impij, insolētes, superbi, tru-
culenti, iracūdi cuncta mox ferro, igne-
que demoliūtur; templa, domosq; di-
piunt, & incēdunt; vbiq; latrocinia, vbi-

que

que violentiæ, vbiq; strages. Inter cæ-
tera subit malâ fortunâ Bibliotheca nō
vulgaris, quæ mihi in pretio, & deliciis;
cum illa simul lucubrationes, & vigiliæ
lōgi tēporis, quas dū sollicitus conor pe-
cun. redimere, nusquam repertus ra-
ptor, incertum, incendiōne, an casu alio
perierint, mihi nō dubium periisse. Vix
postea à tantis malis modica quies; cum
statim sequitur ab hostili vastitate cō-
tagiū pestilentiæ permixtū fame, adeò
atrox, tantoq; impetu, ac tādium per has
oras grassatū, damna vt inuexerit lōgè
duriora. Mihi vno tunc in loco cōsiste-
re, atq; inde malo me opponere nō fa-
tis. Vocor in mediū, objicior discrimini;
percurro vrbes, & oppida peste, fameq;
ob esia: hos iuuo pecunia, & alimēto, ne
per inediā pereant; illos confessionis sa-
cramēto, sacrâq; synaxi, ne inermes de-
cedât: itaque quoad licet, adsum omni-
bus, desum nemini. Ad hæc labor alius
nec exiguus, nec infrequēs, quo ab ipso
firmè pontificatus initio distineor. In-
festabant Mauri prædones assiduis in-
cursibus maritimâ huius Regni oram,
nec paucos ex nostris in captiuitatē idē-

tidem



tidem abducebant, vt occurram dāno,
mea pecunia ædificari triremē iubeo,
necessarióque instrui apparatu: quo ef-
fectū est, fauēte numine, vt importuna
hostiū caterua, non repulsa tantū, sed
& interdum capta, & seruituti subiecta
sit. Mitto plurima à fundamētis reiecta,
exædificatáque templa, in quibus nec
tū exiguum tempus, nec leues sumptus
impendere, expenderéque omnino ne-
cessarium fuit. His calamitatibus, atque
occupationibus hucusque decursum
tēpus: nec solum intermissa, vel in parte
remissa, sed prorsus dimissa volūtas re-
petendi pristina Theologiæ studia. Cō-
tentus sum licuisse mihi ex tantis, ac tā
diutinis malis digresso apparare Maie-
stati tuæ hoc specimen animi in te re-
quiritur, quod iterum tibi inscribo, & dedico,
R E X P O T E N T I S S I M E, E T
M A X I M E, vt fauore tuo eat illæ-
sum, quacunque ierit. Hoc tantum su-
perest, Deus te tuis, Ecclesiæque suæ,
vt diutissimè seruet incolumē. Sic opta-
mus, & precamur tui. Pharensi in vrbe
quarto Idus Augusti, anno 1604.

Candido Lectori.



VIDEBO R tibi, pie Lector, Actum agere, ut est in proverbio, & in vitio, dum argumentum verso satis versatum, & forsitan fastiditum. Fateor haud esse nouum, nullum enim hac etate magis inculcatum & discussum, discussum, inquam, à doctis, quamquam & ab indoctis confusum. At quamuis tritum, de iis quidem est, quae saepius iterata non amittunt leporem. Et nos aliquid fortasse damus, quod nouum, ac non tritum: experire, si lubet, & interim accipe instituti nostri rationem, quae talis. Videbam diebus hisce proximis geminas veluti ciuium turmas infestis animis & armis impetere sese: sustinere non potui, quin arma quoque arriperem, & alteri factioni, cuius causa iustior, acciperem: nam Gracus ille sapiens negauit boni cuius esse in seditione ciuili neutri se parti adiungere: & alius quidam, item Gracus, hostem patriae ac proditorem haberi hunc voluit, quod priuata magis, quam publicae consuleret utilitati. Quare ne hostis audiar & habear, licet arcano quodam natura sensu semper à pugnis abhorruerim, captis armis venio ad pugnam. Qui enim possem ego, qui in Theologico studio & curiosè & sedulò (ni fallor) bonam etatis partem transegissem, desiderare in otio, tanto in conflictu de re maximè Theologica? Indecens id mihi visum, quantumuis & natura & consilio in tenebras, ac silentium propenso. Stare igitur

decerno

decerno à causâ iustiore: ac ne aberrem, non satis habeo hanc in rem diligenter antea incubuisse, rursus affectus omnes exuo, à quibus in rerum iudiciis caligo plerumque & cœcitas. Integer repeto Adyta veritatis, libros, inquam, diuinos, Conciliorum decreta, monumenta veterum Patrum, maximè Augustini, qui ut sanè mirus, sic planè magr s. Ita lego, quæ ad rem præsentem, ac si legissem nunquam: ita lecta perpendo & expendo, ut sola queratur veritas, cuius indagatio honestissima: nam semel imbibita opinioni impotenter adhaerescere, cum maximè turpe est, tum à sinceris mentibus valde alienum. Habes igitur, quæ in talibus fontibus labore non modico, & fructu (opinor) non impari, legi & collegi mihi. Animo simplici ac puro ea tibi do, daturus maiora, nisi fortuna inuidisset, & pontificia cura tot belli, pestis, famis calamitatibus exercita, & à litterario negotio per hosce annos impedita votis & operæ obstitisset. Si putes: hoc esse ista in theologica tabula tanquam lumina apponenda, appone tanquam umbras: his enim illustrantur quæ in picturis lucent, nec sine illis vlla in istis pulchritudo: ita Augustinus dixit pictorem illum maximum eo quidem modo in hac mundana tabula effecisse lucem, ut tenebras ordinatè etiam disposuerit, quo mundi effigies elegantior existeret, & ornatio. Nolo amplius te morari, lector optime: vale, & boni consule, quæ legeris.

APPROBATIONES.

TRactatum hunc *de Auxiliis diuinæ gratiæ, ad actus supernaturales*, ex ordine supremi sanctæ Inquisitionis senatus, perlegi: Auctore Illustrissimo & Reuerendissimo DD. Ferdinando Martinz Mascaregnas, dignissimo Argobiorum Episcopo, viro & generis nobilitate clarissimo, & maximarum virtutum ornamentis condecorato, & quod ad præsens attinet institutum, in omni genere scientiarum eruditissimo; nihilque in eo est fidei Orthodoxæ, aut sanctis Patribus repugnans: Imo, quod sacræ paginæ vero sensui per omnia consonat, & concordat. Quare opus iudico, non solum impressione dignum, sed omni commendatione multis rationibus dignissimum: apparent quippe in eo, validissimum & præstantissimum Auctoris ingenium, quo loca plurima Scripturæ sacræ & explicat, & noua quadam luce perfudit; facilis & scælix scholastici styli facilitas, absoluta & modesta resolutio summa cum eruditione coniuncta: & quod magni facere oportet, Christianæ Reipub. (his præcipuè calamitosis temporibus) magna & vniuersa vtilitas, inseruit enim opus ad multa sacræ Theologiæ pûncta dirimenda, modò in Ecclesia magno disputarionum strepitu, & dissensu ventilata, multorumque mentes in dubiis difficillimis theologicis, inde ab Ecclesiæ nascentis aurora, huc vsque discussis, illustrandas & pacificandas. Olyssipone in conuentu Sancti Francisci d'Enxobreguas, Anno Domini 1604. 6. Die Maij.

FR. LVDOVICVS AB ANGELIS.

Ego



EGO Fr. Antonius Freire Augustinianæ familiae alumnus, in Academia Conimbriensi graduatus, & in Collegio D. Augustini Olyssiponenſi publicus ſacræ Theologiæ profeſſor, tractatum hunc *de auxiliis*, Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini, vndequaſque doctiſſimi, Algarbiorum præfulis, recognoſcere iuſſus à grauiffimo ſanctæ ac generalis Inquiſitionis ſenatu, haud indiligenter id efficere curavi. In quo nihil à me eſt animaduerſum, quod noſtræ religioni aduerſetur. Imò æternæ Sapientiæ præcepto 3. Regum 5. mihi viſus eſt tollere lapides, intelligo difficultates; grandes, hoc eſt, tali auctore dignos, pretioſos, eo quòd difficultates hæ noua quadam luce, abſoluta eruditione, & classica ſtyli facilitate ſi illuſtriſſimæ; demum quadratos in templi fundamentum, quia ſuis firmiſſimis ſtatutis ad amuſſim omnibus quadrabunt. Illiſ enim & infernales hæreticorum exercitus, tamquam Caucaſi grues, ora ſua concludent, & Chriſtianæ apes in rigidiffima noſtri ſæculi tempeſtate ſeſe validiſſimè firmabunt. Quapropter valde dignum hoc opus arbitror, vt in publicam totius Eccleſiæ vtilitatem excudatur. Datum in prædicto collegio 6. die Aprilis anno 1604.

FR. ANTONIVS FREIRE.

INDEX

I N D E X
DISPUTATIONVM,
AC PARTIVM, QVAE IN
*hoc tractatu de auxilijs diuinæ
gratiæ ad actus super-
naturales, conti-
nentur.*

D. Disputationem. P. Partem.
N. Numerum denotat
marginalem.

DISPUTATIO PRIMA.

De varijs diuinæ gratiæ diuisionibus.

Disput. 1. num. 1.

Quid sit gratia operans. Disput. 1. part. 1. num. 3
Refertur, & refutatur opinio Vega de gratia
operante, & cooperante. Disput. 1. part. 1. num. 4
Refertur, & refutatur alia quorundam Thomista-
rum opinio de gratia operante. Disput. 1. part. 1. n. 5
Refutatur opinio Gregorij Ariminensis de gratia
operante. Disput. 1. part. 1. num. 7.
Vera sententia de gratia operante. Disput. 1. p. 1. n. 12
Quid sit gratia cooperans. Disput. 1. part. 2. num. 1
Proponuntur argumenta pro hac opinione, & re-
fertur

I N D E X

- fertur secunda cum suo funtamento. Disput. 1.
 part. 2. num. 2*
- Vera sententia de gratia cooperante. Disput. 1. p. 2. n. 4*
- Dissoluntur contraria argumenta. Disput. 1. p. 2. n. 8*
- Quid sit gratia excitans. Disput. 1. part. 3. num. 1*
- Vera sententia de gratia excitante. Disput. 1. p. 4. n. 2*
- In iustificato ad exercendos actus supernaturales
 semper requiritur gratia excitans, non adiuvans.
 Disput. 1. part. 3. num. 4*
- Homo in operibus bonis, quae facit cum auxilio
 gratiae, in suo ordine est causa principalis. Disput. 1.
 part. 3. num. 7*
- Refertur, & refutatur opinio quadam de gratia
 excitante. Disput. 1. part. 3. num. 11*
- Quae sit gratia adiuvans, & quo pacto ab excitante
 distinguatur. Disput. 1. part. 4. num. 1*
- Refutatur prima opinio, & referuntur, ac refutantur
 aliae duae. Disput. 1. part. 4. num. 1.*
- Proponuntur duae aliae opiniones, prior suadetur ar-
 gumentis. Disput. 1. part. 4. num. 5*
- Vera sententia de gratia adiuvante. Disput. 1. p. 4. n. 9*
- Diluuntur argumenta, quae vera sententiae officiant.
 Disput. 1. part. 4. num. 13*
- Vtrum differant inter se gratia praeveniens, comi-
 tans, & subsequens. Disput. 1. part. 5. num. 1*
- Quomodo intelligenda sit illa propositio: Facienti
 quod in se est, Deus non denegat gratiam.
 Disput. 1. part. 5. num. 4*
- Eadem est re ipsa gratia subsequens, & praeveniens.
 Disput. 1. part. 5. num. 8*
- Vtrum actualis gratia recte dividatur in sufficien-*

DISPUTATIONVM.

tem, & efficacem *Disp.* 1. part. 6. num. 1
Datur auxilium sufficiens, quod non sit efficax.
Disp. 1. part. 6. num. 4

DISPUTATIO SECVNDA.

De gratia efficaci, & eius distinctione
à non efficaci.

Vtrum gratia efficax consistat in actuali Dei
concurso, aut supernaturalem habitum
involuat. *Disp.* 2. part. 1. num. 3

Refertur, & refutatur prima opinio de gratia effi-
caci. *Disp.* 2. part. 1. num. 4

Quo pacto Deus concurrat ad actum conuersionis
prius naturâ, quàm liberum arbitrium. *Disp.* 2.
part. 1. num. 11

Refertur, & refutatur alia opinio de gratia efficaci.
Disp. 2. part. 1. num. 18

Utrum gratia efficax sit aliqua qualitas, aut motio,
ab excitante gratia diuersa. *Disp.* 2. part. 2. nu. 1

Refellitur proposita opinio. *Disp.* 2. part. 2. num. 7

Utrum ea gratia excitans, qua simul efficax est,
suapte vi voluntatem physicè prædeterminet ad
consensum. *Disp.* 2. part. 3. num. 1

Proponitur vera sententia, & probatur. *Disput.* 2.
part. 3. num. 9

Respondetur ad opposita argumenta. *Disput.* 2.
part. 3. num. 19

Quo sensu concedi possit, hominem conuerti,
quia vult. *Disp.* 2. part. 3. num. 25

Utrum Deus per actualem concursum, aut modo
alio voluntates nostras physicè determinet in

INDEX

- actu conuersionis. *Disp.* 2. *part.* 4. *num.* 1
Proponitur primus modus de concursu actuali, &
refutatur. *Disp.* 2. *part.* 4. *num.* 2
Proponitur secundus modus, & refutatur. *Disp.* 2.
part. 4. *num.* 8
Proponitur tertius modus, & refutatur. *Disput.* 2.
part. 4. *num.* 10
Proponitur, & stabilitur vera sententia. *Disput.* 2.
part. 4. *num.* 18
Soluuntur opposita argumenta. *Disp.* 2. *p.* 4. *nu.* 22.
Vtrum ex sententia D. Augustini gratia efficax
voluntatem physicè determinet. *Disp.* 2. *p.* 5. *n.* 1
Proponitur vera sententia iuxta mentem Au-
gustini. *Disp.* 2. *part.* 5. *num.* 5
Quid alij Patres sentiant de physica voluntatis de-
terminatione. *Disp.* 2. *part.* 6. *num.* 1
Quid D. Thomas, & alij Scholastici Doctores de
hac physica determinatione senserint. *Disp.* 2.
part. 7. *num.* 1
Statuuntur veluti classes quatuor Theologorum
contra physicam determinationem sentientium.
Disp. 2. *part.* 7. *num.* 6

DISPUTATIO TERTIA.

De efficacia gratiæ.

- V**trum efficacia gratiæ posita sit in morali vo-
luntatis determinatione. *Disp.* 3. *p.* 1. *nu.* 2
Observantur quedam pro resolutione difficultatis.
Disp. 3. *part.* 1. *num.* 5
Efficacia gratiæ non est posita in dete minatione

morali,

DISPUTATIONVM.

morali, & contrariis argumentis respondetur.

Disp. 3. part. 1. num. 7

Vtrum efficacia gratia in eo consistat, quod à libero arbitrio acceptetur. Disp. 3. part. 2. num. 1

Efficacia gratia non est constituenda in cooperatione liberi arbitrij. Disp. 3. part. 2. num. 4

Deus est potissima causa, quare gratia sit actu efficax. Disp. 3. part. 2. num. 9

Efficacia gratia in actu secundo pendet aliquo modo à libero arbitrio. Disp. 3. part. 2. num. 14

Vtrum efficacia gratia consistat in aliquo Dei proposito, aut in eius prescientia. Disp. 3. part. 3. n. 1

Rejicitur utraque opinio. Disp. 3. part. 3. num. 5

Qua tandem in re constitui debeat gratia efficacia.

Disp. 3. part. 4. num. 1

Congruitas gratia in ipsamet reperitur. Disput. 3. part. 4. num. 3

Dissoluuntur quedam obiecta contra propositam doctrinam. Disp. 3. part. 4. num. 7

Vtrum ex duobus equali gratia praeventis possit unus consentire, alter dissentire. Disp. 3. part. 5. num. 1

Proponitur vera doctrina, & confirmatur. Disp. 3. part. 5. num. 4

Proponuntur, & solvuntur obiecta quedam contra propositam doctrinam. Disp. 3. part. 5. num. 10

FINIS.

D. D. FER



D. D. FERNANDI
MARTINZ MASCA-
RENHAS, EPISCOPI
Regni Algarbiorum.



TRACTATUS DE
AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ
ad actus supernaturales.

OMMUNI Catholicorum con-
sensu constitutum est, quædam es-
se opera, tum ex sua natura, tum
ex obiecto, & circumstantiis oc-
currentibus adeò difficilia, vt ad ea exercenda
non satis sit illud Dei auxilium, quod ordina-
ria lege homini confertur, sed aliud speciale,
& gratuitum requiratur. De his enim saltem
operibus intelligi debent, quæ passim legimus
in libris diuinis, cum dicitur, Nihil esse, quod
à nobis sine Deo, eiusque adiutorio fieri pos-
sit, vt Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*; 1. ad
Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti?*

I
Theologi
cū magistro
in 2. d. 18. cū
D. Thom. 1.
2. q. 109.

*Quædam esse
opera quæ spe-
ciale Dei re-
quirant au-
xilium.*

1. Ioan. 15.
Cor. 4.

A

& in

2. Cor. 3. & in epist. 2. ad eosdem cap. 3. *Non quòd suffi-*
 Philip. 2. *cientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex no-*
 Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere,
 pro bona voluntate. Quorum illa similia sunt ex
 Concil. Arausic. *muneris, cum rectè cogitamus, & pedes nostros à*
 falsitate, & iniustitia tenemus; quoties enim bona
 agimus, Deus in nobis, atque nobiscū, ut operemur,
 Cælest. 1. *operatur. Eòdem tendit Cælestinus 1. in 1. epi-*
 stola ad Episcopos Galliæ, can. 9. Cum ex sen-
 tentia Papæ Zozimi asseuerat, sanctam cogita-
 tionem, pium consilium, omnémque bonum
 motū voluntatis ex Deo esse, atque adeo nul-
 lum esse tempus, nullum motum, nullam co-
 gitationem, in qua non sit orandus Deus, ut
 nobis suam gratiam conferat, quia, ut ait, *Super-*
bum est, ut quidquam de se præsumere.
superbum est, ut quidquam sibi humana natura præ-
sumat.

Patres adeò frequenter hoc ipsum incul-
 cant, ut eorum hac de re testimonia nemini
 possint esse ignota. Sufficiant illa, ex August.
 August. pro- *ferm. 13. de verbis Apostoli: Si defuerit diuinum*
 pe medium. *adiutorium gratiæ, nihil bonum agere poteris. Agis*
quidem illo non adiuvante, libera voluntate, sed
malè. Et statim: Cùm dico tibi, sine adiutorio Dei
nihil agis, nihil boni dico; nam ad malè agendum
 Fulgent. *habes sine adiutorio Dei, liberã voluntatem. Et ex*
 Fulgentio, De Incarnatione & grat. cap. 24.
Sicut caro nihil optare potest, si ea vult viuificare
anima desinat; sic homo nihil bene velle potest,

si ab eo inuamen gratia abscedat.

Cæterùm licet in controuersia positum sit, utrùm in statu naturæ lapsæ possit homo absque speciali gratiæ adiutorio aliqua opera virtutum moralium exercere, idque in utrâque partem probabiliter disputetur; ad actus tamẽ, siue ex sua entitate, siue ex obiecto tantùm, & operantis relatione supernaturales, gratuitum Dei auxilium requiri, Resolutio est communi Patrum, & Scholasticorum doctrina confirmata. Propterea in titulo huius controuersiæ tantùm locuti sumus de Auxiliis gratiæ ad supernaturales actus requisitis, quamuis non dubitemus opera esse ordinis naturalis, quæ sine speciali Dei subsidio nequeat homo in hoc statu exercere.

At non omnia dicemus, quæ materiæ dignitas suo iure postulat, quorùm pleraque hoc tempore à doctissimis viris exactè sunt discussa; sed quædam duntaxat attingemus, quæ ad disputationem de gratia efficaci magis videntur necessaria.

Secta igitur erit in tres disputationes præfens controuersia. Agemus in prima de variis gratiæ diuisionibus. In secūda efficacẽ distinguemus à non efficaci. In tertia de ipsa efficaci erit sermo; cuius cognitio quemadmodum est difficultatibus plena, & ad fidei dogmata maximè necessaria: ita nihil illa hodie in schola theologic magis commendatur.

2

Videantur
Alex. Alen.
3. par. qu. 69.
memb. 1. a. 2.
Roffens. ar-
tic. 16. cõtra
Luth. Capr.
in 2. d. 29.
q. 1. a. 1. con-
cl. 4. & alij.
*Ad actus su-
pernaturales
gratuiũ Dei
requiri auxi-
lium.*

3

*Diuisiõ totius
operis.*



DISPUTATIO PRIMA.

DE VARIIS DIVINAE
gratia diuisionibus.

1
Creationis,
conseruatio-
nisq; benefi-
cium, & quid-
quid à Deo
homini cōfer-
tur gratia ap-
pellatione in-
terdum signi-
ficari.

Hieronym.
August.
Richard.
Bonauent.



RATIA tam latè interdum à Sanctis Patribus, & Scholasticis doctoribus accipitur, vt non solum creationis, cōseruationisque beneficium comprehendat: sed bona quoque naturalia, & quidquid nobis à Deo liberaliter donatur. Ita acceperunt olim Hieron. in 1. Dialog. contra Pelagi. & August. epistola. 95. & cum vtroque patres Mileuitani Concil. teste eodem August. in epistola relata. Eadem acceptione vsi etiam sunt Richard. in 2. d. 4. ar. 2. q. 2. Bonauēt. art. 1. q. 2. & alij Theologi iuniores generatim definiētes gratiam esse quodcumque donum homini à Deo liberaliter collatum.

2
Qua sit pro-
pria gratia
acceptio.

Generalis
gratia diui-
sio.

Pressiùs tamen, & magis propriè capi solet gratia pro speciali dono, quod nullo modo, neque naturæ, neque personæ meritis debetur, sed omnino gratis, & ex misericordia à Deo præstatur. Quo pacto accepta gratia in subiecta membra variè diuiditur: præcipuè verò, ac generaliùs in gratum facientem, &

gratis

gratis datam: in habitualem, & actuaalem, modis que similibus. Sed istæ diuisiones non sunt nobis in præsentia necessariæ, cum dicturi tantum simus de gratia actuali, quæ non est aliud, quam gratuitum, & speciale Dei auxilium ad rectè, & piè viuendum à Deo nobis identidem oblatum.

Nec verò omnes actualis gratiæ diuisiones examinabimus, sed tantum quatuor, quibus gratia in operantem, & cooperantem, in excitantem, & adiuuantem: in præuenientem, comitantem, & subsequenter: in sufficientem, & efficacem frequentius diuiditur: quoniam aliæ parum habent negotij, & facillè intelligentur ex iis, quæ de præfatis diuisionibus dixerimus. In prima igitur huius disputationis parte inuestigandum est.

*quatuor
diuisiones gratiæ
assignat.*

Quid sit gratia operans.

PARS PRIMA.

EXORDIRI opus libet ab operante gratia, sine qua nec rectè potest institui, nec ad exitum fœliciter perducì. D. Augustinus in lib. de gratia, & lib. arbitr. c. 17. ita de Deo scripsit: *Ipse, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. & paulò post, ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum operatur.*

Ex his, & aliis similibus, quæ tum idem

3
Aug. tom. 3.
Gratia operans.

Alex. Alenf.
Alber. Mag.
D. Thom.
*Operantis coo-
perantisque gra-
tia diuisionu
squam apud
Patres habi-
tuali accom-
modatur.*

Bellarm. l. i.
de grat. &
lib. arbit. ca-
pit. 14.
Soar. de aux.
lib. 3. cap. 15.
Vasqui. i. p.
tom. i. d. 88.

4
*Gratia ope-
rans qua di-
catur apud
Vegam.*

Quæ itē apud

Pater, tum alij variis in locis tradiderunt, de-
sumpta est vulgatissima illa gratiæ diuisio in
operantem & cooperantem, quam Alexand.
Alenf. 3. parte, quæst. 69. m. 3. art. 2. & 3. Albert.
Mag. in 2. dist. 26. ar. 7. D. Tho. 1. 2. q. 111. art. 2.
& plures alij Habituali accommodarunt, vt ea
diuerso modo operans sit, & cooperās. Verum
vt hæc accommodatio apud antiquos Patres
nusquam reperitur; ita à nobis est hoc loco
omittenda: sicut & aliæ persimiles, quas recen-
tiores Theologi referunt, & refutant. Constet
vtramque gratiam esse actualem, vt Robert.
Bellarm. Francisc. Soarius, Gabriel Vasquius,
& alij doctores defendunt.

Refertur, & refutatur opinio Vega.

QUOD igitur attinet ad operantē Andreas
de Vega lib. 6. in Concil. Trident. cap. 8.
concedit esse motionē, qua Deus voluntatem
allicit, applicatque ad bonum. Sed cur dicatur
per illam operari in nobis sine nobis, quod est
inter Catholicos controuersum, eam dixit esse
causam quòd primus ille animi motus, quo ad
consentiendum excitatur homo, à solo aucto-
re Deo fiat in homine, ipso actiuum concu-
sum non præbente, sed illum tantummodò re-
cipiente; ad eum prorsus modum, quo in sub-
iecto corpore producitur à sole lumen, aut in
præparata materia ab igne calor.

Cooperantem verò gratiam ideò sic appel-

lari existimat, quòd non Deus solus, sed homo quoque in se ipso illam efficiat; quæ est causa cur Deus per illam dicatur in nobis nobiscum simul operari.

Sed hæc opinio statim rejicienda est; tum quia ad rem explicandam nihil conducit; tum quia vitales actus, siue sint veræ actiones, quæ veluti in fluxu quodam consistant, siue re ipsa qualitates actionum nomine significatæ, vt tales sunt, nequeunt in potètiis vitalibus absque actiuo earum còcursu ab externo tantum principio elici, quod Philosophi variis locis, & plerique Theologi apud Magistrum in 4. distinct. 49. & apud D. Thom. 1. 2. quæst. 3. sufficienter demonstrant.

Refertur, & refutatur alia quorundam Thomistarum opinio.

Alij dicunt gratiam operantem esse primum motum, quo voluntas incipit bonum velle; ideo autem dici, Deum in nobis talem motum sine nobis operari, quia licet homo non solum actiuè, sed etià liberè ad illum concurrat, non tamen per alium actum antecedentem prius illum vult; siquidem nullus præcedit actus, quo ad volendum, & operandum homo semetipsum moueat, cum voluntas in prima illa boni volitione se habeat vt mota, solus verò Deus vt mouens. Ita nonnulli discipuli D. Thom. 1. 2. quæst. III. artic. 2.

eundem Gratia cooperans.

Refellitur Vega.

Contra Nomin.

5
Gratia operans, quid sit iuxta aliquos Thomistas.

Discipl.
D. Thom.



Durand.
Bellar. l. i. de
grat. & lib.
arbit. ca. 14.
perplexè lo-
quitur.
*Reijctur præ-
cedens opinio.*

Durand. in 2. dist. 26. quæst. 3. & alij.

Verùm hæc explicatio, quamvis nihil periculi contineat, possitque modo aliquo videri sufficiens: tamen Augustini menti, & operantis gratiæ rationi minimè congruit. Primum enim non dicitur Deus operari in nobis, ut velimus, quod solus sine nobis faciat in nobis ipsam boni volitionem, hoc est, liberum consensum: sed quia efficit initium bonæ volitionis, quæ sine nobis non perficitur, ut apertè significant verba August. in principio relata, *Ipse, inquit, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*, hoc est, confert nobis sine nobis liberè operatibus præuenientem gratiam, qua conuersionis opus incipit, voluntatem alliciendo, excitandóque ad consensum, quem cum eâdem voluntate perficit, dum illi cooperatur.

Quomodo accipiendū apud Aug. Deum operari in nobis sine nobis. Gratia operans nō procedit liberè à nostra voluntate.

Deinde cum August. dixit, *Deum operari in nobis sine nobis*, non aliud vult, quàm operantem gratiam, licet à voluntate, vel intellectu, vel utrâque simul persona vitaliter procedat, non procedere tamen liberè; si enim liberè procederet, nulla esset causa, cur diceretur fieri in nobis sine nobis, siquidē quod homo modo humano, ac libero agit, id dicitur moraliter, & propriè agere.

6

Præterea ferri in bonum libero voluntatis motu, id quidem & moraliter bonum est, & potest esse meritorium, quamvis talis motus primus sit, nec alius eū præcesserit, at merito-

ria actio nō fit in nobis, sed prorsus nobiscum: propter quod dixit Augustin. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Vt velimus, & suū esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*; loquitur verò de actione bona deliberata; & lib. 2. cōtra duas epistolas Pelagian. cap. 8. *Homo preparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor*; vbi loquitur de præparatione ad gratiam sanctificantem, quæ præparatio non differt à libero consensu: ergo primus motus deliberatus: quo voluntas tendit in bonum, non potest esse gratia operans.

Denique aliud est facere vt homo velit, aliud facere ipsum hominis velle: nam qui consulit, vel rogat aliquem, vt quidpiam velit, solūm operatur, vt rogatus velit; potest autē operatio sine effectu reperiri, quoniam non semper homo id facit, quod alius ab eo petit, vt faciat; cū igitur Deus per gratiam operantē solūm operetur in nobis, vt velimus, iuxta August. citatū: necesse est vt gratia operans cōsensum voluntatis præcedat, sitque aliquod auxilium ab excitante, seu præueniente gratia non diuersum; quod proinde rectē dicitur esse à solo Deo, quia nemo se ipsum ad conuersionem primò vocat, aut hortatur, sed Deus tantūm per internas illustrationes, & inspirationes vocat omnes, qui vocantur, quoniam ab ipso est salutis exordium.

* *
*

August.

Gratia operans necessario præcedit voluntatis cōsensum.

*Refertur, & refutatur opinio
Gregorij Ariminensis.*

7
Greg. Arim.
ad 12. arg.
*Quæ sit gra-
tia operantis iu-
xta Arimi-
nensem.*

Diuersa via incedit Gregorius Ariminen-
sis in 2. d. 28. q. 1. ar. 3. de operante gratia
minùs rectè opinans. Nam inter vocationem,
qua Deus hominem inuitat ad bonum, ipsam-
que liberi arbitrij cōsensum, agnoscit medium
quendam impulsū, quo Deus voluntatē ad
consentiendum applicat, facitque vt velit &
faciat, atque in hac applicatione operantis gra-
tiæ rationem constituit.

Ad hunc autem modum philosophatur. In
libero voluntatis consensu, quem præueniens
gratia antecedit, duo necessariò reperiuntur:
in primis influxus Dei, sine quo effici consen-
sus non potest, deindè cōcursus hominis op-
erantis, consensumque elicientis: at influxus
Dei prior est, priusque attingit effectum quàm
influxus causæ secundæ: ergo ratione huius
præcedentis influxus, dicetur Deus in homine
sine homine operari, vt bonū velit, & operetur
& ex consequenti ratio operantis gratiæ in eo
erit constituenda. Sciens præterea testimonia,
quæ ad hoc stabiliendum ex August. adducit,
quoniã & aliis in locis sunt à nobis explican-
da, & nihil aliud dicūt, quàm Deum in nobis
sine nobis operari, vt velimus, ex quo nequa-
quã colligitur media illa Gregorij applicatio.

8
*Oppugnatur
Ariminensis
opinio.*

Eam plerique Theologi rejciunt, Gabriel
in 2. d. 37. qu. 1. a. 1. notab. 1. Caiet. 1. p. q. 14. a. 13.

& qu.


& qu. 19. art. 8. & alij. Refutari autem valida ratione generatim potest, facta huiusmodi inductione. Vel illa applicatio est aliqua actio inter excitantē gratiam & consensum media: vel est ipse consensus, aliquaue eius pars: vel aliquis modus, siue respectus eiusdem consensus: vel denique aliud, quod dicatur concursus Dei, sitque ab his omnibus distinctum: nam præter hæc aliud esse non potest, ut perspicuū est. At non est actio inter gratiam excitantem, & consensum media: quod probatur, quia vel liberè à voluntate elicitur, vel solùm naturaliter: si liberè nihil potest esse aliud præter consensum, unde fit, ut consensus præcedat consensum, quod absurdum est, & à nemine assertum: si tantùm naturaliter, iam talis actio cum præueniente gratia recurrit, siquidem applicatio voluntatis ad consensum liberum, ordine saltem naturæ ipsum præcedens, nihil esse potest, quàm gratia præueniens, quã Deus in nobis efficit sine nobis, ac proinde non est aliquid medium inter vocationem & consensum, sed ipsa planè vocatio.

Deinde quemadmodū in operibus naturæ siue bonis, siue malis, nulla est actio, qua naturale agens applicetur à Deo ad agendum, ut boni Philosophi communi consensu asseuerant, & postea planum faciam, cū de efficaci gratia disputabo: ita in operibus gratiæ præter auxilium præueniens, quod in pia cogitatione, & motu indeliberato voluntatis consistit, non

*Inter gratiã
excitantē, &
consensum a-
ctiõnē mediã
non reperiri.*

*Nō dari actio-
nē, qua agens
naturale ap-
plicetur à Deo
ad agendum.*

est



Ante consensum nō datur ulla motio, quæ voluntatē applicet ad agendum.

Gratia operans nō est ipse voluntatis cōsensus in se spectatus.

9
Nec pars illius cōsensus.

est admittenda ante consensum motio aliqua voluntatem applicans ad agendum, quoniam non modo superflua est, verum etiam libertati repugnat, vt ex sequentibus patebit.

Rursum quod gratia operans non sit ipse voluntatis consensus in se, & absolutè spectatus, ex eo perspicuè constat, quia gratia operans fit in nobis sine nobis: consensus autem non sine nobis, sed nobiscum simul: si enim sine nobis fieret, non esset actus humanus & liber, vt ex dictis patet.

Non potest etiam considerari pars aliqua ipsius consensus, quæ dicatur esse à solo Deo, non ab homine operante: vel enim ea pars est ratio aliqua generica, siue specifica: aut individualis in consensu inclusa, ipsumque naturæ ordine antecedens, secundum quam dicatur Deus applicare hominem ad consensum; vel est pars integras consensus, quasi integer consensus constituatur ex duabus entitatibus, quarum vna sit à Deo, altera à voluntate. Hoc posterius valde absurdum est, & à Philosophia prorsus alienum: illud etiam prius nullo modo dici potest, quia in actione singulari rei creatæ, licet possimus intellectu distinguere plures rationes, quarum vna referenda sit ad causam primam, altera ad secundam (quo pacto in actu vitali ordinis diuini cōcipere possumus rationem vitalis, quatenus est ab homine, & rationem supernaturalis, vt à Deo, quoniā quatenus est à potentia vitali habet vitam, quatenus à

principio supernaturali habet supernaturalitatem) tamen re ipsa, & secundum ordinem causalitatis, neque in consensu datur vlla entitas, quæ non sit effectus hominis consentientis; neque potest concipi, quod vna eius ratio prius existat, quàm alia; sed omnes simul intelliguntur existere. Quin etiã cum homo diuinæ motioni consentit, intelligitur simul cum Deo cooperari, ita vt ad eundem actum detur quædam simultanea Dei & voluntatis coniunctio.

Vnde sicut Deus homini, ita homo dicitur cooperari Deo; de Deo enim illud est Marc. ultimo. *Prædicauerunt ubique Domino cooperante*; de homine vero illud 2. ad Corinth. 3. *Cooperatores gratiæ Dei*; quæ locutiones frequentissimæ sunt in Patribus. Sed egregiè ac subtiliter Bern. de grat. & lib. arb. hanc simultaneam cooperationem his verbis declarat, *Ad hoc utique præueniēs, nempe gratia, ut iam sibi deinceps cooperetur, nempe liberum arbitrium, Ita tamen quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt.*

Quod etiam Gregoriana illa applicatio non sit modus aliquis, respectusue ipsius consensus, quatenus à Deo, manifestum planè est: tum quia modus & habitudo alicuius rei, quamuis in eodem temporis momento rem ipsam in esse realis existentia comitetur; tamen naturæ

In hominis consensu nulla datur entitas qua non sit effectus hominis consentientis.

Quemadmodum Deus homini: ita homo Deo cooperari dicitur Marc. ult. 2. Cor. 3. Bernard. ad finem.

Simultanea Dei & liberi arbitrij cooperatio.

10.
Mediã illam Ariminensis applicationẽ non esse modum aliquem aut respectũ ipsius consensus.

ordine

ordine intelliguntur esse posteriora, quia sunt veluti accidentia, quæ rem supponunt realiter existentē, vt ipsi adueniant. Tum quia intelligi nequit, quòd Deus per modum aliquem, aliquam uè habitudinē dicatur applicare voluntatem humanam ad consensum. Tum denique quia modus repertus in consensu, quatenus comparatur ad causam primam, nihil potest esse aliud, quàm ratio dependentiæ, quæ non est impulsiva, siue applicatiua voluntatis ad consensum, vt patet.

Dicit Gregor. in eodem actu consentiendi reperiri duplicem concursum; primū Dei mouentis, alterū voluntatis consentientis; & in illo primo sitam esse præfatam applicationem.

II Sed quæro quid intelligat nomine concursus Dei? vel enim intelligit ipsam increatam Dei volitionem, quod non est ad rem, nec ipse re vera intendit, quia applicatio illa debet esse gratia, & volitio Dei interna, quemadmodum non donatur homini, ita nequit appellari gratia. Vel intelligit aliquam actionem diuersam à cōsensu; vel certè ipsum cōsensum; & vtrumque satis impugnatum est: vel denique aliquid aliud, quod nō apparet. Licet enim verissimum sit, Deum simul concurrere cū secundis causis, & immediatè in omnes earum actiones influere; est etiam non minùs verum, vnam eandemque esse, & Dei, & secundæ causæ actionem. Nam si alia Dei, alia causæ secundæ esset actio, sequeretur in omni operatione rei crea-

*Dei causæque
secundæ vna
eademque est
actio.*

tæ dari

tæ dari duplicem actionem, itemque actionem creaturæ non esse intrinsecè à Deo; vtrumque verò à philosophia, & veritate valde abhorret. Quare influxus Dei, in actionem agentis creati, siue concursus ad illam, non est in re aliquid diuersum ab actione, sed ipsamet actio quatenus immediatè à Deo emanat, vt docet D. Thom. 3. lib. contra gent. cap. 70. & in philosophica schola apertissimè demonstratur.

Ex his patet inanem esse, & planè fictitiam illam Gregorij applicationem, nec parum etiam periculosam, cum libertati repugnet, siquidem ea posita, necessariò ponitur consensus; cumque illa antecedens, ac præuia esse dicatur, atque à libero arbitrio nihil pendens, intelligitur sanè voluntati inferre necessitatè, vt postea accuratiùs demonstrabitur.

Proponitur, & confirmatur vera sententia.

CÆteris igitur opinionibus reiectis sic statuo. Gratia operans nihil aliud est, quàm ipsa diuina vocatio, qua Deus liberum hominis arbitrium inuitat, hortaturque ad cõuersionem, & tota posita est in sancta cogitatione, motuque voluntatis non deliberato, seu quod eodem recidit, in illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis, quæ sunt iustificationis initia, & simul cum libero arbitrio efficiunt in homine, qui conuertitur, vltimam dispositionem ad

gratiam

Dei cõkursus cum causa secunda non est aliquid ab actione diuersum.

D. Thom.

Videantur Soar. li. 1. de concur. Dei c. 4. in opusc. & Molin. in cõcor. ad q. 14. disp. 26. & seq. Fonse. 5. met. capit. 2. quæ 9. sect. 2. & seq. Periculo plena est illa Arminensis applicatio.

12

Quid sit gratia operans ex sententia Auctoris.

m 29

Valent.
Soar.
Vasq.
Vega.

Bellarm.

gratiam sanctificantem. Ita docent Gregor. de Valent. tom. 2. comment. Theologic. disput. 8. q. 3. punct. 5. Francisc. Soarius lib. 3. de auxilijs cap. 5. Gabr. Vasqu. 1. tom. in 1. p. disp. 88. Vega cap. 8. citato; solùm enim in eo dissentit, quòd putet probabilius illam effici à Deo in homine absque actiuo hominis cõkursu, quod ad quæstionem philosophicam pertinet. Consentit etiam Bellarm. lib. 1. de gratia & lib. arbit. cap. 14. quamuis enim indicet ipsum voluntatis consensum appellari ab August. gratiam operantem, & causam quærat, cur dicatur fieri in nobis sine nobis; tamen. §. *Dicendũ est*, expressè dixit gratiam operantem esse illam, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis, hoc est, conuersionem; & paulò post ait, gratiam operantem nihil esse aliud, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis.

13
Probatur ex
August.
Aug. tom. 7.
2. Cor. 6.

Hæc assertio non aliunde meliùs probari potest, quàm ex August. In primis illustris est locus ille ex lib. de gratia, & lib. arbit. cap. 5. vbi de Paulo agens sic ait: *Liberum arbitrium exhortatur in iis, quibus dicit, Rogamus ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis; ut quidem eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen ne ipsa voluntas putetur sine gratia Dei boni aliquid posse continuo, cum dixisset, gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboranti, subiunxit atque ait, Non ego, sed gratia Dei mecũ, id est, non solus, sed gratia Dei*

mecum,

mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, neque ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Hactenus August. Declaravit autem verbis propositis gratiam cooperantem; statim vero operantem expressit ita subiungens: *Ut autem tam magna & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola.* Ecce gratiam operantem constituit in sola vocatione.

Deinde lib. 1. ad Simplician. q. 2. Si queramus, inquit, *Virum Dei donū sit voluntas bona, mirum si negare quispiā audeat. At enim quia non precedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bona voluntatē; propterea vocāti Deo rectē tribuitur, quod bene volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocamur.* Quibus verbis nomine vocationis aptè intelligitur gratia operans, quæ fit à Deo in nobis sine nobis, quoniam ad salutem nemo se vocat, sed à solo Deo vocatur.

Sed & Patres alij eandem doctrinam non obscurè tradunt. Gennadius lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 21. sic ait: *Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, sed admonente prius Deo, & inuitate ad salutē, ut vel eligat, vel sequatur.* Et paulò pòst, *Initium ergo salutis nostræ Deo miserate habemus: ut acquiescamus salutifere inspirationi, nostræ potestatis est.* Apertè declarat operantem gratiam in eo positam esse, quòd Deus moueat, & inuitet; ad cooperantem verò ampliùs requirit, ut voluntas inspirationi acquiescat, quod non sola facit, sed cum gratia vocantis Dei.

14
Ex Patribus.
Gennad. inter opera
Aug. tom. 3.

Ex Gregor.
Magn.

Anselm.

1. Cor. 15.

Præter gratiã præueniẽtem, liberũq; volũtatis cõsensum nihil aliud in opere iustificationis requiritur.

Quid nomine gratiæ præuenientis intelligatur.

Gregorius Magnus libro 16. Moral capite 10. *Superna ergo pietas, inquit, prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum.* Eadem verba scribit Anselmus, vel est quorundam sententia, Heruæus aut quicumque is fuit, qui nomine Anselmi in epistolas Pauli commentarios edidit, interpretans illud. 1. ad Corinthios 15. *Gratia Dei sum id, quod sum.* Nec dissimili modo loquuntur cæteri Patres, ex quibus ad præsentem materiam duo perspicuè colliguntur. Primũ, præter gratiam præuenientem, & liberum voluntatis consensum non requiri actus alios in opere iustificationis. Alterum est, nomine gratiæ præuenientis nihil aliud intelligi, quod ad animum pertineat, præter internam vocationẽ; quæ illustrationem intellectus, & voluntatis inspirationem complectatur, vt media illa applicatio tanquam à mente Patrum valde aliena omnino reiicienda sit. Ceterũ cum iam ex dictis constet gratiam operantem nihil ab interna vocatione differre: quonam modo à cooperante distinguatur, deinceps inuestigandum est.

Quid

*Quid sit gratia cooperans, & qua ratione
ab operante differat.*

P A R S S E C U N D A .

Varias reperio cooperantis gratiæ exceptiones, quas idcirco prætermitto, quia & inter Patres minùs vfitatæ sunt, & nihil faciunt ad præsens institutum. Solùm dicam de cooperante gratia, vt ab Augustino accepta est, & cum operante solet coniungi, tanquam membrum ab ea distinctum. Loquendum vero de illa est secundũ se, & in genere rei spectata; hoc enim modo in controuersiam hoc loco adducitur.

Sũt igitur de ipsius natura opiniones. Prima, non esse aliud, quàm specialẽ concursum, quo Deus ad liberum volũtatis consensum intimẽ concurrat, qui concursus, vt iam diximus, est idemmet consensus, quatenus pendet à Deo influente. Itaque in hac opinione gratia cooperans non se habet ad consensum voluntatis per modum principij effectiui, sed per modum concursus Dei, vt auctoris gratiæ, & agentis supernaturalis. Ita sentire videntur recentiores quidam Theologi, cum aiunt eandem esse gratiam cooperantem cum adiuuante, & hanc ab excitante distingui, esseque concursum Dei simul cum libero arbitrio in conuersionis actum influentis.

*Prima opinio
asserentiũ gra-
tiã cooperãẽ
esse specialem
Dei concur-
sum quo ad
liberũ volun-
tatis cõsensũ
intimẽ con-
currit.*

*Ita videtur
sentire Soar.
l. 3. de auxil.
c. 4. & alij.*

Proponuntur argumenta pro hac prima opinione, & refertur secunda cum suo fundamento.

2
Probatur praecedens opinio primū ratio nibus.
 1. ratio.

PROBARI potest proposita opinio his argumentis. Primò, qua ratione dicitur Deus per suam gratiam nobiscum cooperari, eadem & nos dicimur cooperari Deo, aut gratiæ diuinæ, appellamurque gratiæ Dei cooperatores: atqui nos Deo cooperamur per ipsum bonæ voluntatis consensum, qui propterea vocatur nostra cooperatio: ergo etiam Deus dicitur nobis cooperari per eundem consensum, quatenus in illum influit, & quod ex eo sequitur, gratia cooperans non erit motio, aut quidpiam aliud; à consensu diuersum, sed ipsemet consensus, quatenus à Deo procedit.

2. ratio.

Secundò. In opere salutis, cū quis audit Deum vocantē, vocationique obedit, duo tantummodo, eaque necessariò requiruntur: in primis ipsa gratia vocationis, quæ bonam voluntatem præcedit; deinde intimus Dei concursus ad actum conuersionis: neque enim ex parte Dei quidquam aliud requiritur, at gratia vocationis non potest rectè dici cooperans, tū quia dari potest, daturque in multis peccatoribus absque effectu iustificationis; tum quia eius munus non est sanare, sed animam tantum præparare ad sanitatem, iuxta illud August. lib. de natu. & grat. cap. 32. *Præuenit autem ut sanemur, quia & subsequetur, ut etiā sanati vegetemur,*

Aug. rom. 7.

& illud

& illud Bern. opusculo de grat. & libero arbit. *ipsa, nempe gratia, liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatū; sanat cū immutat affectum: ergo gratia cooperans est ipse concursus Dei ad actum conuersionis, seu quod eodem tendit, est ipse cōsensus liberi arbitrij, quatenus Deus in illum intimè influit, simul cum libero arbitrio cooperando.* Bern. propè finem.

Tertiò. Ita se habet ad actū supernaturalem gratia operans & cooperans, sicut gratia excitans & adiuuans (sunt enim prorsus eadē nec alia operans, quàm excitans; neque alia cooperans, quàm adiuuans) sed excitans eo differt ab adiuuante, quòd illa sit per modum principij, hæc verò per modum concursus; vt perspicuum videtur ex ipsa ratione gratiæ adiuuantis, quæ in eo consistit, quòd Deus per illam iuuet hominem vocationi consentientem in ipso actu consensus, supplendo defectum virtutis humanæ ad supernaturalia opera per se infirmæ, iuxta illud ad Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram; ad eum ferè modum, quo quis alium iuuat in vehendo onere, quod nequit propriis viribus solus vehere; ita enim illū iuuat vt simul cum ipso onus vehat, atque adeò actio vehēdi ab utroque procedat: ergo gratia cooperans nō videtur esse aliud, quàm diuinus concursus ad actum conuersionis, siue actus ipse, vt est à Deo.*

3
Tertia ratio.

Rom. 8.

Quartò. Idem probari potest ex doctrina Patrum, qui de his duabus gratiis tanquam de *Probatur vltimò ex doctrina Patrū.*

diuersis rebus semper loquuntur, vt videre est in testimoniis August. & aliis superiori parte relatis. Nā si vna & eadē esset gratia operans, & cooperās, nomine tātūm & officiis distincta, interdum significaretur vt vna, quod in aliis rebus vsu venit.

Secunda opinio asserentiū gratiam cooperātem esse auxiliū quoddam medium inter excitāte gratiā & consensū voluntatis.

Fundamentum huius opinionis.

Secunda opinio est gratiam cooperantem neque esse cōcursum Dei ipsūmue consensum voluntatis vt à Deo proficiscitur, neque gratiam excitantem; sed auxiliū quoddam medium excitante gratia posterius, & consensu prius; quod de gratia adiuuante aliqui dicunt, vt postea est videndum.

Huius opinionis illud est fundamentum, quòd gratia cooperans, cum sit quoddam Dei adiutoriū, quod in consensu eliciendo liberum arbitrium iuuat, cū illo simul cooperando per modum principij actiui, necessariò debet esse à consensu distincta, & naturæ ordinè illum antecedens; rursū cū habeat effectus, quibus gratia operans carere potest, & re ipsa caret in iis, qui non obediunt vocationi, efficitur, vt ab operāte quoq; diuersa sit, & inter eam & consensum habeat locum medium. Num verò sit

aliqua motio, an habitus virtutis infusæ,

id etiam in lite positum est; quidam

enim motionem; alij habi-

tum esse asseue-

rant.

Proponitur & approbatur tertia sententia.

Tertia demum opinio est gratiam cooperantem re ipsa, & secundum entitatem idem esse cum operante, tantumque officio, & respectu ab illa differre. Ita præter alios, Theologi quidam recentiores, qui diligentius, & accuratius hac de re scripserunt. Hi sunt Ludouic. Molina in concord. ad q. 14. art. 13. variis disputationibus, Gregorius de Valentia tom. 2. comment. Theolog. disput. 8. quæst. 3. punct. 5. Gabr. tom. 1. in. 1. p. disput. 88. cap. 9. & alij.

Probatur primò ex illis verbis Pauli I. ad Corint. 15. *gratia Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit.* Ecce Apostolus vnam tantum agnoscit gratiam, qua & sit vocatus à Deo; quæ est operas, & vocationi responderit, quæ est cooperas. Licet verò aliqui interpretes locum intelligant de gratia, qua Deus Paulum Apostolatus honore dignatus est, & qua idem Apostolus magno cum fructu Euangelicæ prædicationi incubuit; tamen & eadem videtur esse ratio de vocatione ad iustitiã, deque bona liberi arbitrij cooperatione, quæ est vocantis gratiæ effectus, ac fructus: & Consilium Arausic. 2. can. 6. grauiissimiq; Patres verba Pauli de re proposita intelligunt. Satis sit audire Greg. lib. 16. moral. cap. 10. ita dicentem; *Quia enim diuina nos bonitas, ut innocentes faciat, præuenit, Paulus ait, gratia autem Dei sum id, quod sum, & quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium*

4
Adstruitur
vera sententia, qua cooperantem gratiam ab operante solo officio & respectu distinguit.
Molina.
Valent.
Vasq.

1. Cor. 15.
Primo auctoritate.

Concil.
Arausic.
D. Gregor.

sequitur, adiungit, & gratia eius in me vacua non fuit. Notandum verò est, cū Apostolus dixisset, se plus omnib. laborasse, illicò addidisse, *Non ego sed gratia Dei mecum, siue qua mecum*, vt est in textu Græco, vt significaret illam ipsam gratiã, qua à Deo vocatus fuit, idcirco non fuisse vacuam, quia illi cooperatus est.

2. Cor. 6.

Idem colligi potest ex 2. epist. ad Corinth. cap. 6. vbi Apostolus ait, *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*: quibus verbis non obscure indicat vnam & eandem esse Dei gratiam, quæ si careat effectu, hoc est, liberi arbitrij consensu, dicitur vacua, atque adeò solùm excitans, & operans: si consensum habeat, iam erit cooperans, ac proindè non vacua.

Concil.
Trident.

Secundò. Ex Concil. Trident. Sess. 6. c. 5. vbi loquens de iustificatione adultorū, & de gratia, qua excitantur, adiuuanturque à Deo, subdit hæc verba, *Eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur*. Affirmat igitur vnam, & eandem esse excitantem, & adiuuantem gratiam, cui adulti peccatores consentiunt, & cooperantur, quæ operans dicitur, quatenus Deus per eam peccatores vocat, & adiuuans, atque cooperas, quatenus cum libero arbitrio cooperationem elicit.

s
August.

Tertio ex August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Vt non sint, inquit, opera precedentia gratiam, sed consequentia; vt scilicet nemo arbitretur, ideo se percepisse gratiã, quia bene operatus est; sed bene operari non posse, nisi per fidem perceperit gratiã. Incipit autem*

homo percipere gratiã, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa monitione motus ad fidem. Ecce de operante, & cooperante gratia loquitur, tãquam de re vna. Nam cum ait: *Nemo arbitretur ideo se percepisse gratiã, quia bene operatus est,* apertè loquitur de gratia operante ac præueniente. Deinde cum ait: *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere,* apertè etiam loquitur de gratia cooperante, sine qua non datur motus in Deum per fidem formatam, de qua intelligendus est August. & tamen gratias non distinguit, nisi ex vario respectu ad bonam cooperationem.

Præterea lib. 2. Retract. cap. i. vni vocationis gratiæ tribuit non solùm præparationem voluntatis in quibusdam, verùm etiam eorum electionem, hoc est conuersionem: cum tamen vocatio non habuerit in aliis conuersionis effectũ, quia non fuit talis, qua moueri possent: ex quo factum est vt vocati nõ audierint, quia non erant apti, vt vocationem capere possent. *Ad alios, inquit, vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, vt eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Quem locum postea tractabimus, quia difficultatem habet. Sed ex eo satis colligitur, vnã & eandem esse gratiam, quæ operans est, quatenus homini à Deo confertur, & dicitur cooperans, si homo illam capiat, eique cooperetur.

Item de prædestin. sanct. cap. 19. Vni voca-

tioni tribuit, quòd ad Deum vocemur, & conuertamur: *Nec quia credimus, inquit, sed ut credamus, vocamur; atque illa vocatione, qua sine pœnitentia est, id prorsus agitur, & peragitur, ut credamus.* Notanda sunt illa verba: *agitur & peragitur*, quorum prius ad operantem, posterior ad cooperantem gratiã pertinet, & vtrumque eidẽ vocationi tribuitur. Possem huius generis referre sexcenta, quæ prætermitto. Admonitum volo lectorem, nunquam Augustinum, quod sciam, vti nominibus gratiæ operantis, & cooperantis, sed dicere tantum solere, Deum per suam gratiam operari in nobis, & cooperari nobiscum; quod etiam notauit aliquoties Gabr. Vasq. illa disput. 88. supra relata: ex quo apertius est gratiam operantẽ & cooperantem ex Augustini sententia re ipsa esse vnã, & eandem.

Ostenditur eadem veritas firmis rationibus.

Quartò ratione, quia, vt in sequentibus sæpius dicendum est, illa ipsa gratia, qua Deus creatam voluntatem præuenit, inuitatque ad bonum, quando vocatus cõsentit, illa, inquam, ad consensum concurrit, cooperando aliqua ratione libero arbitrio: Etenim siue pia cogitatio à Deo immissa habeat effectiuum concursum respectu consensus, siue alio modo ad illum concurrat, (de quo est inter Philosophos quæstio nihil hoc loco necessaria) negandum non est, Deum illius interuentu influere in consensum; quod palam haberi videtur ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 10. vbi fides dicitur

Concil.
Trident.

bonis

bonis operibus cooperari, quia iustus credendo concipit propositum iustæ operationis, idque ad executionem perducit: at fides eo loco Concilij est actus fidei diuinæ, qui rectè dicitur sancta cogitatio, cuius interuentu tanquam instrumentaria virtute influit Deus in actum consentiendi.

Nec officit, quòd actus fidei à iusto elicitus, videatur esse deliberatus, gratia verò præueniens sit motio præcedens deliberationem; hoc enim ad rem præsentem non facit. Nam & affectus illi pij, qui Deo auctore in animo peccatoris subito exoriuntur, cum iam ad conversionem concurrunt, deliberati esse possunt, si peccator aduertens liberè illos conseruet. Quare sancta cogitatio, & pius motus voluntatis, quæ fiunt à Deo in homine sine homine, ut homo est, siue ut humano modo agit, & quæ ita spectata pertinent ad gratiam operantem, quatenus iã ad actum cõuersionis concurrunt, habent veram rationem gratiæ cooperantis.

Deinde si gratia cooperans est aliquid ab operante re ipsa diuersum, cum non sit illa Gregoriana applicatio in superiori parte sufficienter refutata, nec aliud inter vocationem, & cooperationem medium, erit cõsensus ipse, siue cooperatio liberi arbitrij, ut procedit à Deo, quod nonnulli auctores affirmant: at hoc vel ipsa ratione cooperantis gratiæ facilè refellitur; nam gratia dicitur cooperans, quia concurrat cum libero arbitrio ad consensum, ac

proinde

Bernard.

proinde saltem ordine naturæ intelligitur esse prior ipso consensu, etiam quatenus concipitur procedere à Deo per illâ cooperante: cum enim consensus sit operatio quædam vitalis & libera, nõ potest intelligi prius à Deo produci in esse existentia realis, quàm à libero arbitrio; sicut etiam cum sit ordinis supernaturalis intelligi nequit, quod à voluntate proficiscatur, quin simul intelligatur à Deo, eiusque gratia proficisci. Quod sanè expressum videtur à Bern. in opusculo de grat. & libero arbitr. illis verbis supra à nobis relatis: *Ita tamen quod à sola gratia cœptū est, pariter ab utroque proficiscitur, ut mixtim non sigillatim, simul non vicissim per singulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt; totum quidem hoc, & totum illa.* Extra philosophicos terminos nihil in hac re dici potest explicatius.

At his verbis, & aliis immediatè præcedentibus tria ex doctrina D. Bernardi apertè colliguntur. Primum, vnam & eandem esse gratiam, qua Deus hominem præuenit seminando in illo sanctam cogitationem; & qua ipsum sanat, eius affectum immutando, ad actumque perducendo; atque adeò vnam esse gratiam, per quam Deus in homine sine homine operatur illum vocando, & per quã cum illo cooperatur consensum efficiendo; quod traditur illis verbis: *Ipsa, nẽpe gratia, liberũ excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affe-*

ctum;

ctum; roborat ut perducatur ad actum; seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tamen illud in primo praeueniat, in ceteris comitetur. Alterum est, consensum voluntatis ideo dici à sola gratia coeptum, quia opus iustificationis solus Deus inchoat, imprimendo piam cogitationem, ad quam homo non concurrat, ut homo, id est, liberè, sed modo tantum naturali. Tertium, consensum voluntatis ita simul esse à gratia, & ab homine consentiente, ut non sit tribuendum partim uni, partim alteri, sed totum utrique, nec prius Deus illum efficiat, quam homo: neque homo priusquam Deus; sed uterque simul, & homo per gratiam Dei.

Dissoluantur contraria argumenta.

AD Primum igitur aduersae partis argumentum respondeo, dupliciter intelligi posse, quod Deus homini, & homo cooperetur Deo; vno modo effectiue, altero formaliter. Si loquamur priori modo, neque Deus homini, neque homo cooperatur Deo per ipsum consensum; sed Deus per suam gratiam, ut per actuum operationis principium; homo vero per suum liberum arbitrium, iuxta illud Prosperi 2. de vocat. gent. cap. 9. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter praeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illumi-*

8
Ad primum.

Prospe. in
principio 2.
liàs cap. 26.

nando

nando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidis, ut diuino in se cooperetur operi. Si verò loquamur posteriori modo, poterit Deus dici cooperari homini formaliter per ipsum consensum, & eadem ratione homo cooperari Deo: at consensus nullo modo appellari rectè potest gratia cooperans, cum sit ipsa cooperatio, quæ est cooperantis gratiæ effectus.

Ad secundum.

Ad secundum respondeo, ad actum iustificationis concurrere ex parte Dei gratiam vocationis, & ipsius intimum concursum ad eundem actum; non tamen inde effici, ut gratia cooperans in ipso consensu constituenda sit, sed in motione præuia; quæ si careat effectu, dici poterit gratia operans, non cooperans.

Obiectio.

Opponat aliquis, concursum Dei ad actum conuersionis esse quoddam auxilium speciale non debitum naturæ, sed planè gratuitum; siue ad ordinem gratiæ pertinens, & suapte conditione, supernaturale; ergo propriè esse gratiam, non operantem; ergo cooperantem: Nam cum gratia sit, si operans non est, cooperans erit, vel dabitur aliud genus gratiæ Conciliis, & Patribus incognitæ.

Utrum Dei cum libero arbitrio concursus ad actus supernaturales generale an speciale auxilium sit.

Circa hanc obiectionem dubitatio est inter Doctores, utrum concursus Dei cum libero arbitrio ad actus supernaturales generale, an speciale auxilium dicendum sit. Quidam neque auxilium appellandum esse cõtendunt, eo quòd

auxilium intelligitur esse aliquid per modum principij effectiui, actusque primi, quod ex parte causæ debet spectari; concursus verò ad ipsum effectum pertinet, cum nihil sit in re ab eo diuersum. Alij admittunt posse auxilium appellari, sed speciale negant: eo quòd Deus quatenus cum libero arbitrio ad assensum concurrat ex communi illa ratione, quòd sit prima causa, primùmque ens à quo cætera dependent, non aliter se habet quàm cum influit in actiones agentium naturalium; ex quo inferunt eius concursum hoc modo spectatum generalem dici debere, atque adeo quodammodo debitum, & ex consequenti nec speciale, nec gratuitum. Denique alij considerantes hunc Dei concursum secundum suam entitatem, quatenus nimirum ordinis diuini est, & supra hominis naturam, affirmant dicendum esse speciale auxilium.

Hæc contentio, vt rectè aduertit Soarius lib.3. de auxiliis, cap.3. non est de ipsa re, sed de modo tantum loquendi. Siue enim diuinus ille cõkursus auxiliij nomine vocetur, siue non; siue itè dicatur auxiliũ generale, siue speciale, conueniunt Catholici doctores ipsum consensum esse actum ordinis supernaturalis, neque elici à libero arbitrio, nisi Deo per suam gratiam concurrente. Vnde fatentur esse simpliciter donum gratuitum misericorditer homini collatum. Quamobrem licet omnes de re ipsa rectè sentiant, magis probandus videtur

9
Soar.
*Occurritur
precedenti
obiectioni.*

*Auctoris sen-
tentia.*

modus

malp

modus loquendi eorum, qui vocant auxilium speciale, quoniã loquuntur apertiùs, & ad rem accõmodatiùs, ac sine vlla errandi occasione.

Ad tertium.

Ad tertium respondeo, ex eo, quòd gratia adiuuans ab excitante secundum entitatem distinguatur, non sequi distingui etiam cooperantem ab operante. Vtrum verò illæ re ipsa differant, postea inuestigandũ est. In exemplo de illo, qui onus vehentem iuuat, simul cum ipso vehendo, nihil est, quod nostræ resolutioni repugnet: ipsa enim vectio non est auxilium, sed eius effectus; quod si quis eam vocet auxilium, minùs propriè loquetur, vt interdum fit in similibus.

Obiectio.

Vrgeat aliquis eum, qui vehentem iuuat simul vehendo, aut in re alia simul cum aliquo cooperatur, dici propriè auxiliari, siue auxilium præstare; Ergo ipsam cooperationẽ, vt ab illo procedit, rectè auxilium dici, cùm nihil aliud sit, quod auxilium dicatur. Occurrendum est, non esse inficiandum ipsam quoque alicuius agentis actionem, si comparetur ad alterum agens, à quo simul procedat, posse auxilium denominari, quatenus vnum agens iuuando alterum, illam producit; verum neque dici posse auxilium per modũ principij, neque alia ratione dici auxiliũ, nisi quia procedit à causa auxiliante, nõ verò quòd ipsamet respectu sui rationem auxiliij habere possit.

Solutio.

10
Ad quartũ.

Ad quartum respondeo, non semper Patres de operante, & cooperante gratia loqui tan-

quam

quam de diuersis, sed frequentissimè vt de vna eademque motione, quæ alio & alio modo spectata, itemque ex variis respectibus varias sortiatur appellationes; vt satis cõstat ex dictis, & deinceps melius constabit.

Restat hoc loco dicendum, cur gratia excitans dicatur operans. Etenim si spectatur tantum secundum se, quatenus est sancta cogitatio, vel inspiratio, quam Deus excitat in nobis sine nobis, potiùs dici debet grãtia, vt ita dicam operata, quàm operans, siquidem ita sumpta nihil efficit, sed efficitur. Si verò consideretur vt iam concurrat ad actũ consentiendi simul cum libero arbitrio, eo quidem modo intelligitur nõ solùm operans, sed cooperans: non videntur igitur, ne officio quidem, aut modo alio istæ gratiæ distingui.

Respondendũ est, distinctionẽ sumendam esse ex eo, quod cooperans ita considerata respicit effectum, quem voluntati cooperando, actu efficit: operans vero solùm intelligitur esse auxiliũ quoddam actuale, & gratuitum datũ homini ad bene volendum, & operandum, absque vllò respectu ad effectum actu productum, diciturque operans quasi operata, quòd eam Deus in nobis sine nobis operetur; aut quasi ad operandum data, quia, vt dixi, confertur homini, vt simul cũ eius libero arbitrio conuersionem efficiat.

Quamquam & illud est aduertendũ, quod supra monui, Patres non consueuisse dicere

*Cur gratia
excitãs dica-
tur operãs, &
non potiùs o-
perata.*

Responsio.

Molin.
Redarguuntur
Molina oblat-
ratores.

gratiam operatam, sed gratiam, quam Deus in nobis sine nobis operatur: quare eadē realiter motio, quatenus tempore, vel natura consensum præcedit, est gratia operans duntaxat, hoc est, operatiua, aut operata, siue effecta in nobis sine nobis; quatenus verò in consensum influit, est cooperans. Et hoc est, quod tradit Molin. in concord. ad q. 14. disp. 39. & alibi, quem aliqui aut malè intelligunt, aut volunt malè intelligere, vt peius oppugnent.

Quid sit gratia excitans.

P A R S T E R T I A.

Concil.
Trident.
Excitantis
adiuantisq;
gratia diui-
sio adstrui-
tur.

Diuisio gratiæ in excitantē & adiuuantem habetur ex Concil. Trid. Sess. 6. cap. 5. illis verbis: *Declarat præterea, nepe Sæcta Synodus, ipsius iustificationis exordiū in adultis, a Dei per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur; vt qui per peccata à Deo auersi erāt, per eius excitantē, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se disponantur. Et capit. 6. Disponuntur, inquit, ad iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes mouentur in Deum. Et rursus canone 3. definitur non posse hominem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet,*

vt ei

vt ei iustificationis gratia conferatur.

Scio excitantis, & adiuuatis gratiæ vocabulis tam in Conciliis, & Sanctorum Patrum libris, quã apud Scholasticos doctores multa significari. Excitans enim gratia tam latè interdum accipitur, vt nõ solùm cõprehendat illustrationes mētis, inspirationesque volūtatis, & similes pios motus hominum animis à Deo impressos; sed etiam affectiones amoris, timoris, doloris, spei, confusionis, & eiusmodi alias in appetitu sentiente excitatas, quibus superior hominis portio interdum inclinatur ad sectandas virtutes & declinanda vitia: itē occasiones externas, oportunitates, & alia eiusdem generis, ex quibus homo bene viuēdi propositum concipit. Hæc enim omnia ad vocationē diuinã, atque adeo ad excitantem gratiam pertinere, ostēdit præter alios August. lib. 83. qq. q. 68. & fusius atque elegātius lib. 1. ad Simplic. q. 2. vbi numerat occasiones, quibus permoti Simeon senex, Nathanael, latro in cruce, & eiusmodi alij in Christum olim crediderunt.

Gratia quoque adiuuans permulta complectitur, ea nempe omnia, quæ iuuant intellectum, aut voluntatē ad supernaturales actus exercendos. Vnde non solùm auxilia actualia, siue per modum actiui principij, siue per modum actiui concursus se habeant; sed etiam habitus ordinis diuini, & quæcunque alia Dei dona adiutorij nomine non cupantur, iuxta illud Augustin. de corrept. & grat. cap. 12. ad princi-

Excitās gratia quã latè interdum sumatur.

August.

²
Quenam adiuuatis gratiæ appellatione comprehendantur.

Aug. tom. 7.

pium. *Adiutoriū est enim non solū, sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur.* Hac eādē ratione D. Thom. opusculo 2. cap. 143. habitus supernaturales appellat Dei adiutoria naturæ humanæ facultatem excedentia.

Excitantis adiuuantisq; gratia vocabula quomodo accipienda in hac tractatione.

Cæterum cū vtriusque gratiæ vocabula tam latè accipiantur, pressius sunt à nobis hoc loco pertractāda. Dicā de his gratiis ea solū ratione, qua requiruntur ad consensum liberi arbitrij in operibus pietatis, & ad conuersionem peccatoris dicuntur in Conciliis, & à Patribus necessariæ.

Proponitur vera sententia de gratia excitante.

Quæ sit gratia excitans.

Igitur de gratia excitante sic statuo. non est aliud, quàm diuina quædam motio hominis animo à Deo impressa illustrationē intellectus & voluntatis inspirationem continens, & ab operante, aut præueniente nihil differens. appellari solet vocatio, quia per eā Deus peccatorem vocat ad pœnitentiam: vnde dicitur à Paulo *Sancta* in 2. ad Timoth. cap. 1. *qui nos, inquit, liberavit, & vocauit uocatione sua sancta, Et qui conuertuntur, dicuntur audire, iuxta illud Psalm. 54. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.*

D. Paul.
2. Tim. 1.
Psalm. 54.

Gratiæ quæ aptè excitans dicatur.

Aptissimè verò excitantis nomē sortita est; tum quia per illam Deus à peccati somno peccatorem excitat; tum quia sicut vox illius, qui

dormien

dormientem à somno excitat, ab excitante profertur absque ipsius dormientis consensu; ita huiusmodi motio producitur à Deo in homine absque hominis libertate. Quod egregiè significatum est illo modo loquēdi, quo Deus utitur Apocal. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*; nam ut stare ad ostium & pulsare eius tantum est, qui de foris vocat, & aditum quærit; ita solius Dei est pulsare cor peccatoris per sanctam cogitationem, & pium voluntatis affectum. De eadem excitante gratia volunt nonnulli intelligendū esse illud ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*; quod licet accommodari queat, non videtur tamen quadrare cum Apostoli proposito.

Illud etiam est hoc loco aduertendum gratiam excitantem nō solū dari peccatoribus, ut conuertantur ad Deum, sed iustis etiam, ut in gratia & iustitia perseuerent, & proficiant. In his enim frequentissimè excitantur bonæ cogitationes, & inspirationes, quibus inuitantur à Deo ad eliciendos actus charitatis, & aliarum virtutū, atque ad pia opera exercenda. Verūm quamuis hæc gratia, quatenus iustis hominibus confertur, recte dicatur excitans, sub ea tamen consideratione non solet appellari vocatio, nisi quatenus cōfertur peccatoribus, ut resipiscāt, & faciant fructus dignos pœnitentia.

In auxilio gratiæ adiuuantis (ut hoc loco de illa agimus) duo sunt. Primum, quod nūquam actu datur, quin aut peccator conuertatur, aut


Apocal 3.

Ephes. 5.

3
Gratia exci-
tans non solū
peccatoribu,
sed etiam iu-
stis à Deo im-
penditur.

In adiuuāte
gratia duo re-
periri.

C 3 iustus



30

Ambros.

iustus perseveret, vel proficiat, quoniam gratia adiuuans, vt dixit Ambros. lib. 2. in Luc. *Studiis cooperatur humanis*; ac proinde tunc homini adest, cum ille aut à peccato conuertitur, aut in iustitia proficit. Secundum, quod est omnino necessarium tam ad actum conuersionis in peccatore, quàm ad diu perseverandũ in iusto, quòd non solum decernitur in locis Concil. Trident. supra relatis, sed traditur etiam in Theologica schola, & optima similitudine exprimitur ab Augustino lib. de natura, & gratia cap. 26. cum ait: *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi aeternæ luce iustitiæ diuinitus adiuuetur, rectè non potest viuere.* Itaque licet gratia excitans non semper assequatur effectum, sed in vacuum sæpissime recipiatur; adiuuans tamen nunquam inanis, aut superuacanea est, siquidem non intelligitur adiuuans, nisi cum voluntas humana vocationi cooperatur.

Concil.
Trident.

August.

Adiuuantis gratia necessitas optima similitudine declaratur.

In iustificato ad exercendos actus supernaturales semper requiritur gratia excitans, non adiuuans.

⁴
Ad actũ contritionis non solum gratia excitans sed etiam adiuuans.

CVM verò certũ sit numquã peccatorem ad Deum conuerti, quin præter excitantem gratiam, qua ad pœnitentiam vocatur, concurrat etiam adiuuans, quæ cum ipso cooperetur; quærere solent doctores, vt in ho-

mine iustificato ad actus supernaturales exercendos, præter habitus infusos, requiratur aliud gratiæ adiuuantis auxiliū. Peccator quidem cum elicit actum contritionis non solum ad illum inuitatur à Deo per gratiam excitantem, sed etiam ipsa Dei gratia, tanquã eiusdem Dei instrumentum, effectiuè concurret cum eius libero arbitrio ad ipsum actum contritionis eliciendū, & in hoc actiuo concursu spectatur gratia adiuuans; quamuis enim à Deo vocaretur ad pœnitentiam, non posset tamen pœnitendi actum producere, nisi Dei gratia, siue Deus per suã gratiã eius liberū arbitrium eleuaret ad talē actum, simul ad illum effectiuè concurrendo. Dubitatio igitur est, an etiam in eo qui habet infusos habitus, cum aliquem actum supernaturalem vult elicere, non solum debeat ad illum excitari per gratiam Dei præuenientem, sed etiã iuari per auxiliū speciale diuersum ab auxilio habitus infusi.

Duæ sunt opiniones oppositæ. Quidam existimant præter habitū non requiri aliud auxilium. Fundamentum est, quia potentia cum habitu vim habet sufficientem, & actui proportionatã, estque proxima & completa causa, cui nihil prorsus ad operandum desit, nisi concursus Dei ad ordinem gratiæ pertinens, qui potentiæ habitu informatæ, & eleuatæ debitus est. Probant etiam à simili, quia potentia cum habitu naturali, & generali Dei cōcursu absque alio actuali Dei auxilio est sufficiens princi-

Vtrū ad eliciendos actus supernaturales aliquid præter habitus infusos requiratur.

Referuntur duæ opiniones. Prior.

Molina.
Soar. num. 6.
D. Thom.

pium actus naturalis ergo cum habitu supernaturali, & cōcursu Dei eiusdem ordinis vim quoque habebit sufficientē ad productionem actus supernaturalis. Atque ita sentiunt graues Theologi, Molin. in concord. ad q. 14. disput. 8. & alibi Francisc. Soar. lib. 3. de auxiliis cap. 4. & alij ex doctrina D. Thom. in 1. 2. q. 109. ar. 1. & sequentibus.

5
Posterior.

Alij præter habitum infusum contendunt necessariam esse gratiam adiuuantem, quoties homo iustus actum diuini ordinis exercet. Existimant enim per solum habitum nō compleri sufficienter hominis potentiā in ratione causæ proximæ, sed requirere actuale gratiæ complementū, quo habeat perfectam operandi virtutem. Præcipua eorum ratio est, quia literæ sacrae, Concilia, & Patres absolutè, & simpliciter exigunt specialem Dei gratiam, quoties supernaturales actus credendi, sperandi, diligendi, & similes exerceri debent, siue à iusto, siue à peccatore (neque enim id distinguūt) vt patet ex illo Ioan. 13. *Sine me nihil potestis facere.* ex 1. ad Corinth. 12. *Nemo potest dicere Domine Iesu, nisi in Spiritu sancto.* Ex Arauf. Concil. 2. can. 7. & 10. ex Trident. Sess. 6. can. 3. & ex locis aliis. Exigui momēti sunt rationes cæteræ, quibus id suaderi solet.

Ioan. 13.
1. Cor. 12.

Concil.
Araufic. 2.
Trident.

Auitoris de
hæc re sentē-
tia.

Ego in re proposita dicendum puto, semper quidem dari auxiliū gratiæ excitātis tempore, aut naturæ ordine præcedens, cum iustus, aut non iustus ex supernaturali habitu prodit in

actum

actum eiusdem rationis, ad illum tamen ordinariè eliciendum, præter habitum nihil prorsus requiri ex parte principij effectiui, per quod potentia compleatur. Nec dubito, quin ex iis, qui pro adiuuante gratia pugnant, plures sint, qui nõ aliud velint: solùm enim videntur contendere, neminem absque speciali Dei gratia exercere posse actum virtutis infusæ, quæ sententia de gratia excitatè verà est, & Catholicæ doctrinæ conformis.

Dico igitur. ne iustum quidem posse supernaturaliter diligere, sperare, aut credere, nisi diuino suasu ad hos actus inuitetur; nam hoc saltè volunt testimonia ex Scriptura & Conciliis relata, exprimitque in multis locis August. dum absolutè affirmat neminè, non tantùm impium, sed neque iustùm operari bonum posse, nisi excitetur à Deo. Quare cum homo iustus amoris actu in Deum fertur, aut fide, vel spe tendit in finem supernaturalem, id facit motione aliqua prius à Deo excitatus, ac præuentus, nec faceret, nisi excitaretur. Ut tamen præueniente gratia iam excitatus actum efficiat ordinis diuini, cum non occurrit magna difficultas, non videtur amplius requiri, quàm vt habeat principium actui proportionatum, hoc est, habitum infusum, & concursum actualem Dei ad eundem ordinem pertinentem.

Si aliquis opponat, si gratia excitans aliqua temporis aut naturæ prioritate antecedit

August.

Gratia præueniente excitatus, præter habitum infusum nullo alio ordinariè indiget ad eliciendum actum supernaturalem.

6

Obiectio.

actum supernaturalem elicited ab homine iusto operante per habitum infusum, non videtur negandum dari in ipso gratiam adiuuantem, sicut datur in peccatore diuinæ vocationi obtemperante. Nam eadem gratia excitans, cum libero arbitrio ad actum concurrens est adiuuans, vt sequenti parte ostendetur. Cum igitur requiratur in iusto, ad operandum supernaturaliter, gratia excitans, eaque detur, cum ipse actu operatur, concurret quidem actiue ad eius operationem, atque adeo dici poterit, non sufficere habitus infusus in ratione principij effectiui, sed requiri vltcrius, vt per adiuuantem gratiam potentia compleatur.

*Occurritur
obiectioni.*

*Gratia excitans
cōcurrere
potest ad actū
facilius &
suauius eliciendum.*

Respondeo necessariam esse excitantem gratiam in proposito euentu; non tamen opus esse eius actiuo concursu in homine iustificato, siue in eo, qui habitum infusum habet, quia per talem habitum, vt dixi, sufficienter constituitur in actu primo ad producendum actum eiusdem ordinis. Poterit tamen eadem gratia, qua iustus homo excitatus est ad eliciendum actum amoris Dei, concurrere effectiue ad eundem actum, vt facilius & suauius eliciatur; ex quo non potest colligi habitum non sufficere; possunt enim interdum ad eundem effectum plures causæ concurrere, quàm necessariæ sint, vt si tres portent illud pondus, quod portari potest à duobus; vel si concurrant ignis & sol ad productionem caloris, qui in eadem intensione à solo igne

potest

potest produci, siue aliud numero indiuiduum esset, siue idem numero, quod à solo igne, vel tantum à sole, aut ab utroque simul produceretur; nam hæc quæstio Philosophica est, & ad rem præsentem non pertinet. Igitur posita gratia excitante in voluntate, supernaturali habitu informata, & secluso omni actiuo concursu eiusdem gratiæ, adhuc voluntas per illum habitum prodire potest in actum eiusdem ordinis, absque alia noua gratia adiuuante. Actus tamen non minus tribuetur Deo, ut agenti particulari, quàm si per gratiam ad illum concurreret, quoniam habitus supernaturalis est instrumentum Dei, ut auctoris gratiæ. Verùm quæ dicta sunt intelligi debent regulariter de actibus ordinariis; nam ad producendos extraordinarios, & ex aliqua circumstantia difficiles interdum nõ sufficient habitus, sed opus erit aliquo speciali Dei adiutorio, quod nostræ doctrinæ nihil officit.

Homo in operibus bonis, quæ facit cum auxilio gratiæ, in suo ordine est causa principalis.

Occurrit ex dictis dubitatio, utrum homo in actibus liberis, quos ex gratia facit, sit causa in suo ordine principalis, an solum Dei instrumentum, ex iis enim, quæ proximè diximus, colligi videtur hoc secundum, & probari potest, tum quia voluntas creata est

Qua ratione per habitum infusum concurret Deus ad actus supernaturales.

Ad actus difficiles & extraordinarios non sufficient habitus infusi, sed speciali Dei auxilio opus est.

7

Quæ rationes suadeant

infe



hominem non esse causam principalem, sed Dei tantum instrumentum.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

D. Gregor.
Capreol.
Soar.

inferioris ordinis, ac proinde suapte vi improporcionata ad tales actus, ad quos non habet potentiam naturalem, sed tantum obedientialem; si enim haberet aliquam naturalem potetiam, saltem incompletam, haberet etiam connexionem cum ordine gratiæ, & debitus ei esset concursus supernaturalis & gratuitus, quod falsum est. Tum quia homo eleuatur ad actus supernaturales, & non potest aliter illos attingere; at causa eleuata ad ordinem superiorem non agit, vt causa principalis, sed vt instrumentum causæ eleuantis, cum agat non vi naturali, sed obedientiali, & aliena; nam quod agit virtute alterius, cui principaliter innititur, non potest habere rationem agentis principalis. Tum quia principalis causa creata, siue naturaliter, siue liberè operetur, habet terminum limitatum, vltra quem tendere non potest, tam quoad speciem quam quoad intensiõnem, vt patet in omni agente creato respectu actuum sibi connaturalium: ac intellectus, & voluntas, atque adeo homo in actionibus supernaturalibus non habet limitatum intensiõnis terminum, sed potest elicere actus magis, ac magis perfectos in infinitum, pro ratione gratiæ, & concursus diuini. Tum denique quia Patres liberum arbitrium solent appellare instrumentum diuinæ gratiæ; & simpliciter negant esse agens principale in negotio salutis. Ita sentiunt Gregor. & Capreolus in 2. dist. 28. q. 1. Soar. in 3. p. tom. 1. disp. 31.

Sect.

Sect. 6. in solutione quarti argumenti, & alij recentiores Theologi.

Verūm aliis hæc sententia non placet, primò, quia ratio merendi non videtur cadere posse in agens instrumentale, sed tantūm in principale, nam pes, manus, & alia hominis instrumenta, quamuis actus liberos exequantur, ideo non merentur, quia instrumentales causæ sunt; homo tamen liberè agens, quoniam capax est meriti, licet ad exercenda opera supernaturalia virtutem à Deo accipiat, rectè dicetur in suo ordine principaliter operari. Secundò, quia ea causa verè ac propriè dici debet principalis, in qua est ratio consilij, ac providentiæ in agèdo, quæque habet actuum suorum plenum dominium; nam quæ pro suo arbitrato agit, & ab actione cessat, non potest rectè dici instrumentum alterius, neque agendi, ac non agendi libertas in causam instrumentariam quadrare potest: ergo &c. Tertio, quia determinare se ad agendum est maximè proprium agentis principalis; nam instrumenta non se determinant, sed à principali agente determinantur, vt manifestum est percurrèdo genera instrumentorum: at in actionibus liberis, quæ fiunt ex gratia, ipse homo se determinat, vt postea probandum est; propriè igitur illi conuenit ratio agentis principalis in suo ordine.

Quartò, quia si quid obstaret, quo minus homo dicendus sit verè & propriè causa in suo

8

*Refutatur
precedēs opi-
natio.*

Primò.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

ordi

ordine principalis, id quidē esset, quoniam est inferioris ordinis, & non agit per virtutem sibi connaturalē, & proportionatā, nec alia ratione attingit supernaturalem actum, nisi ut subest concursui Dei agentis non solum primi, sed etiā in ordine supernaturali principalis: at hæc non obstant; non enim opus est, ut principale agens pertineat ad ordinem sui effectus; aut habeat ad illum actiuitatem naturalem; hæc necessaria sunt, ut illū possit suapte vi attingere, non tamen ut principalis agentis rationem obtineat: nam ad hoc sufficit, quod accepta aliunde agendi virtute, per illam agat, & ad actionem se determinet, quod homo facit. Quin etiam neque semper hoc posterius requiritur, siquidem aqua & ferrum accepto calore ab igne, ut agentia principalia calefaciunt, non ut ignis instrumenta; quamquam in his, aliisque similibus ideo minus cernitur ratio agentis principalis, quia nec se determinant ad agendum, nec tā agunt, quā aguntur. Quod verò homo non attingat supernaturalem actum, nisi ut subest concursui Dei agentis ut auctoris gratiæ, id etiam nihil obest; nam in actibus naturalibus nullum agens secundū operatur, nisi ut subest Deo concurrenti ut auctori naturæ, nec proinde sequitur omnia creata agentia esse propriè & verè instrumenta Dei, nisi certa quadā ratione, quæ non euertit rationem causæ principalis. Ita Theologi alij, & Philosophi, apud quos plura argumenta reperiuntur.

Nec

Nec repugnant Patres; quia cū dicunt voluntates nostras esse instrumenta Dei, partim loquuntur generali quadā ratione significantes solum Deum independentem esse, reliqua ab illo pendere, vt in essendo, ita in agendo; partim causam principalē accipiunt pro prima, & instrumentalem pro secunda; & in negotio salutis cū asserunt Deū esse causam principalem, accipiunt principalem pro ea, à qua est salutis exordium, vt patebit legenti.

Ego existimo hanc quæstionē esse de modo loquendi, nam vtriusque partis auctores re ipsa conformes sunt; fatentur enim rationales hominis potentias non attingere vi sua supernaturales actus, nec habere ad illos vllā natiuam actiuitatem aut proportionem, sed eleuari per gratiam, aut per habitus infusos, & huiusmodi alia. Differunt autē, quod eorū quidam dicunt ad rationē principalis causæ requiri virtutem propriam, & proportionatam, vel eminentioris ordinis, quàm sit effectus; alij negant id esse necessarium, si dentur aliæ conditiones, quæ propriæ sunt agentis principalis, vt quod agat potius, quàm agatur; quod ad agendum se determinet, & similia.

Hic posterior loquendi modus mihi videtur magis probandus, tum propter rationes propositas, quæ non sunt infirmæ: tum quia remotior est à modo loquendi hæreticorum huius temporis, qui voluntatem nostrā dicunt à Deo moueri instar rei inanimæ, & liberum

9
Auctoris sententia.

Hæretici asserentes voluntatē nostram moueri à Deo instar rei inanimæ.

arbi

1135

Diuerso modo Deus utitur sacramentis, atque libero nostro arbitrio.

arbitrium esse rem de solo titulo, merumque Dei instrumentum, quod agitur, non agit. Tum quia valde dissimilis est modus operandi sacramentorum, quæ in productione gratiæ propriè sunt instrumenta Dei, à modo operandi intellectus & voluntatis, siue hominis per intellectum & voluntatē; nā sacramenta nullam recipiunt virtutem impressam, per quā agant, sed per ipsa tamquam per instrumenta agit Deus; at rationales hominis potētiae recipiunt virtutem impressam, habitus nempe infusos, aut præuiam motionem gratiæ excitantis, & adiuuantis, quī modus est proprius agentis principalis; & satis apparet inter ipsum, & modum agendi sacramentorum non exiguum discrimen. Tum demum, quia videtur valdè alienum à ratione proprii instrumenti, quod positus omnibus requisitis ad agendum pro suo arbitratu agat, vel non agat, seque ad agendum determet, aut non determet.

10
Deus in operibus malis ad solam illorum entitatē concurrat.

Deū bonorū indifferentiūq; operū causā esse principalem & particularem.

Itaque homo in operibus moraliter malis, quatenus mala sunt, non solum est causa principalis, sed etiam prima; Deus etiam tametsi ad ipsam operum entitatē cōcurrat, auctor tamen operis mali, aut eius causa dici non potest, quia culpa in solum peccantem reducit. At in operibus liberis, siue bona sint moraliter, siue indifferentia, non est quidem causa prima, sed propriè in suo genere principalis, & particularis. Si verò opera nequeant solis nature viribus fieri, sed ad ea exercenda opus sit speciali Dei

auxilio, licet Deus comparatione illorum sit causa prima, principalis, & particularis, quia per motionem præuiā, vel per habitus infusos, tamquam per suum instrumētum ad illa concurrat, aut speciali modo in ea influit, homo etiam est illorum causa particularis, & in suo ordine principalis.

Neque est inconueniens respectu eiusdem effectus dari plures causas principales, & particulares, quæ in suo etiā genere sint totales, quando etiam in effectu dantur rationes diuersæ, propter quas ad diuersas causas sit referendus. Quod enim eæ rationes non sint villo modo in re aut physicè distinctæ, sed tantum metaphysicè, atque ad eò sola mēte distinguantur, id quidem nihil obesse potest, quia simpliciter sunt rationes veræ, & in effectu re ipsa repertæ, quāuis in actu distinctæ, negarique nō potest ad diuersas causas esse referendas: quod patet in mōstro, ad cuius productionem duæ simul causæ particulares, impediens & impedita effectiuè cōcurrunt; quāuis enim vtraque simul illud producat, non ad vtrāque simul reducenda sunt omnia, quæ in illo reperiuntur. In assensu quoque scientifico, qui simul ab assensibus præmissarum, & ab intellectu fit, quamquā est actus simpliciter vnus, neque habet physicè rationes distinctas, quarum vnā à præmissis, alteram ab intellectu accipiat; re vera tamen ad præmissas refertur, quatenus talis scientia est, & ad intellectum vt

In ijs qua speciale requirunt auxilium Deus non solū principalis & particularis, sed etiam causa prima est.

Plures causas principales & particulares quæ in suo genere sint totales, non inconuenit reperiri quādo in effectu dantur rationes diuersæ.

In monstro dua simul causa particulares concurrunt.

In assensu scientifico dua itē causa reperiuntur.



est actus vitæ; & ad hunc, & illas simul tãquam ad causas particulares, & in suo genere principales.

Ad actum amoris Dei supernaturalẽ cõcurrit Deo & homo ut causa principales & particulares in suo ordine.

Homo nõ habet vim vllã naturalẽ vel incõpletã ad producendum actum supernaturalem.

Ita igitur cùm in actu amoris Dei supernaturali, qui vna simplex entitas est, reperiantur variæ rationes, supernaturalitas nimirum, vitalitas, & libertas, siue sint de intrinseca essentia actus, siue modi eius essendi, siue quidpiam aliud; non est dubium, quin illa eadem entitas, quatenus supernaturalis est, referri debeat ad solum Deũ, eiusque auxilium; vt verò est quædam vita accidẽtalis, & habet modum essendi liberũ referenda sit ad hominem, eiusque liberum arbitrium, quamuis tota simul à Deo & ab homine producat, vt à duabus causis in suo ordine principalibus, & particularibus, & à Deo quidem, vt à causa prima, ab homine vt à causa secunda. Neque ex dictis sequitur aut hominem habere vllam vim naturalem incompletam ad producẽdum actum supernaturalem sub hac, aut illa ratione, aut Deum non attingere omnem rationem, quæ in actu supernaturali reperitur: longè enim diuersa sunt hæc duo, scilicet, effectum sub tali ratione non esse referendum ad Deum, sed ad causam secundam, & talem rationem non attingi à Deo. Vnde mirum est, Theologos esse, qui in re tam aperta refutanda tam multi sint, vt vix legi possint. Ego multo plura, quàm oportuit, mihi videor dixisse. Quare ad excitantem gratiam regredior, & antequam de illius

ab adiuuante distinctione explicatiùs dissero,
confutanda mihi assertio quædam est.

*Refertur, & refutatur opinio quædam
de gratia excitante.*

ANdreas de Vega lib. 6. in Conc. Trident.
nonnullas differentias inter excitantem
& adiuuantem gratiam constituens cap. 7. af-
firmat in conuersione peccatoris posse ad-
iuuantem gratiam dari sine excitante, idque &
ex ipsius gratiæ, & ex libertatis nostræ potesta-
te cõfirmat. *Si enim, inquit, subito odisse possumus,
quos amamus, & amare, quos odimus, nulla noua
suborta occasione: sed dumtaxat ex libito nostræ
voluntatis; cur peccatores neque vocati, neque ex-
citati à Deo nouis inspirationibus non possim subito
per ipsius gratiam adiuuantem dolere de peccatis,
in quibus antea sibi complacebant, & proponere illa
emendare, eaque una gratia ad Deum conuerti?*

Vt tamen omittam cætera quæ licentius
fortasse, quàm par est, in illo capite asseuerat,
sanè cum in subita peccatoris cõuersione nul-
lam aliquando agnoscit gratiã excitantem, non
solum repugnat Augustino in lib. 83. qq. q. 68.
cum generatim de omnibus ait: *Nec velle quis-
quam potest, nisi admonitus & vocatus;* sed etiam
declinare videtur à decretis Concil. Trid. sess.
6. c. 5. & can. 3. ubi definitur, *Iustificationis ex-
ordium in aduentu à Dei per Iesum Christum præ-
ueniente gratia sumendum esse, nec posse hominem*

II
In cõuersione
peccatoris pos-
se adiuuantem
gratiam dari
sine excitante
affirmant
Vega.

Perstringitur
Vega.

August.

Concil.
Trident.

Concil.
Arausic.
Deus in no-
bis & nobi-
scū operatur.

Augustin.

Gratia præ-
ueniētis neces-
sitas ad pec-
catoris cōuer-
sio ē nō tol-
lit quominus
in instāti fie-
ri queat.

credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ad iustificationis gratiam consequendam absque præueniente Spiritus sancti inspiratione, eiusque adiutorio; quod etiam decernitur in Concil. Araus. 2. can. 9. cū dicitur, *Quoties enim bene operamur, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*, vbi illud, *In nobis*, præuenientem gratiam, illud, *Nobiscum*, gratiam adiuuantem denotat; quo pacto vtramque significauit August. in lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16. dicens: *Sine illo operante, ut velimus, vel cooperante, cū volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

Nec verò ex eo, quod necessaria sit gratia præueniens ad cōuersionē peccatoris, sequitur, nequire hominem in puncto temporis conuerti; potest enim instantanea conuersio procedere à vocatione secundum naturæ tantum prioritatem antecedente, quoniam eodem momento, quo voluntas humana à Deo pulsatur, nihil impedit, quominus respondere homo possit, & cordis ostium aperire; posita enim causa sufficienti potest statim poni effectus, nisi quid impediatur, vt sole posito ponitur lumen. Explosa igitur Vegæ positione, ad explicandam adiuuantis gratiæ naturam accedo.

Quid

*Quid sit gratia adiuuans, & quo pacto ab
excitante distinguatur.*

P A R S Q U A R T A.

IN præfenti difficultate quinque reperio sen-
tentias, prætermisissis aliis, quæ omni pro-
babilitate carent. Prima est gratiam adiuuātem
re ipsa ab excitante distingui, nec esse aliud,
quàm infusam à Deo qualitatem, quæ habitus
vicē suppleat, & cū actu conuersionis transeat,
quamuis alioqui neque actio sit, neque suapte
essentia in fluxu consistat.

Hæc opinio eo nititur fundamēto, quòd in
cōuersione peccatoris dari oporteat aliquid in
eius volūtate, quod eam eleuet ad eliciendum
actum supernaturalem, siquidem ipsa ex se est
principiū insufficiens, & impropotionatum: at
nihil offerri potest, per quod Deus hanc ele-
uationem accommodatius efficiat, quàm per
huiusmodi qualitatem: per gratiam enim ex-
citantem nequit id accommodatè facere, quia
actio est, & vna actio nō est principiū alterius;
non etiam per habitum infusum, quoniam hic
est conuersione posterior; non per quidpiam
aliud à prædicta qualitate distinctū: er-
go per illam Deus voluntatē ele-
uat, iuuatque in productio-
ne actuum superna-
turalium.

1
Prima opinio
asserē: iū gra-
tiā adiuuan-
tē re ipsa ab
excitante di-
stingui.

Fundamentū
huius opinio-
nis.

*Refutatur prima opinio, & referuntur,
ac refutantur alia dua.*

*Confutatur
precedens o-
pinio.*

Primò.

Secundò.

*2
Ter iò.*

SEd non est admittenda prædicta qualitas. Primò, quia prorsus est superuacanea, cum Deus, vel immediatè per se, vel per gratiã excitantem, vel modo alio accõmodatiori eleuare queat voluntatẽ ad actum conuersionis, vt deinceps planum fiet.

Secundò, quia aut illa qualitas datur solùm quando homo cõuertitur, cõsentitque diuinæ vocationi, non autẽ cum vocatur, & vocatẽ nõ audit; aut datur quoties homo vocatur, quãuis non respondeat. Si cõcedatur primũ, sequitur iis peccatoribus, qui vocati nõ respondent, non dari sufficiens auxiliũ, quo si velint, conuertantur, quod dici non potest. Si cõcedatur secundum, sequitur qualitatẽ illam nõ pendere à consensu liberi arbitrij, neque cum illo transire, sed per se inhærere animo peccatoris, quamdiu gratia præueniens inibi perseuerat, cuius oppositum dicebatur.

Tertiò, quia cum ea qualitas nihil pendeat à libero arbitrio, sed à Deo tantum illam infundente, deturque saltem prius natura, quàm liberum arbitrium operetur, nec vmquam infundatur, quin ponatur effectus, sequitur planè voluntatem per eã necessitari ad consensum, ac proinde non conuerti liberè. Confirmatur, quia illa qualitas vel admittitur ad volutatẽ ita determinandam, vt nequeat non operari;

vel

vel ita, vt etiã ea posita, queat voluntas pro suo arbitratu nõ elicere actum; hoc posterius non concedunt eius assertores; & illud prius est contra fidem, quæ docet peccatorem liberè ad Deum conuerti, ipsumque actum cõuersionis esse vitæ æternæ meritorium: ergo, &c.

Quartò, quia prædicta qualitas debet esse ens spirituale, & dicitur esse absolutum quid, non pendens suapte natura ab influxu liberi arbitrij, cùm à solo Deo in eo producat, nec vllã habet in subiecto repugnantia; ergo nulla causa est, cur, transacta etiam vocatione, in voluntate nihil liberè operante nõ permaneat. Si quis respondeat eius durationem pendere à Deo liberè illam conseruante, eo dumtaxat tempore quo vocatio durat: dico id liberè dici, posseque hanc rē modo alio, & perfici suauius, & intelligi facilius.

Secunda opinio est, adiuuantē gratiam esse motionem quãdam inter excitantem, & consensum liberi arbitrij mediã, qua Deus hominem iuuat, vt ipsum consensum eliciat. Cùm enim actio sit, quod ipsum adiuuantis gratiæ nomē indicat; nec fit gratia excitã, quia potest hæc separata ab illa reperiri; nec item fit conuersionis actus, sed eius causa, quia illũ efficit simul cum volũtate; erit actio aliqua inter vocationem, & conuersionem media.

Verum ex iis, quæ supra diximus aduersus Gregorianam applicationem, & proximè contra infusam qualitatem, & infra in hac, & se-

Quartò.

Secunda opinio afferentiũ adiuuantē gratiã esse motionē mediã inter excitatē, & cõsensum.

Consuetudine præcedens opinio.



quælibet disputationibus satis refellitur media hæc motio, nec opus est in eius refutatione amplius immorari.

3
Tertia opinio
adstruit adiu-
uantem gratiam
esse ipsos ha-
bitus super-
naturales pec-
catori in con-
uersionis mo-
mento infusos.

Discipuli
quidam D.
Thom.

Tertia opinio est, ipsos habitus supernaturales, qui iustificato peccatori in ipso cōuersionis momento à Deo infunduntur; esse gratiam adiuuantem. Ita sentiunt plerique de schola D. Tho. in 1.2. ad q. 112. & 113. Aiūt enim actus credendi, sperandi, diligendi, pœnitendi, ac similes, quibus adulti ad iustificationem vltimò disponuntur, efficiēter emanare à Theologicis habitibus in eodē vltimæ dispositionis instanti à Deo infusis, qui licet in genere causæ materialis, ac dispositiuæ posteriores sint ipsis actibus, in genere tamen efficientis secundum naturæ prioritatem illos antecendant; causæ enim sibi inuicem causæ sunt, possuntque proinde aliter atque aliter se mutuo præcedere, & subsequi.

Impugnatur
præcedēs Tho-
mistarū opi-
natio.

Omissis verò argumentis, quibus probari solet vltimas dispositiones ad gratiam ab infusis habitibus efficienter oriri; quòd in illis constituenda sit ratio gratiæ adiuuantis, ex eo primùm probari videtur, quia Deus per eos iuuat, roboratque adultum peccatorem, vt prorumpat in illos actus, quibus vltimò, & proportionatè ad gratiam sanctificantem disponitur.

Deinde quia gratia adiuuans aliquid videtur esse à vocatione diuersum, quod etiam supra ostendebatur, & efficacius infra suadebitur; non est autem qualitas, aut actio motiua

inter

inter vocationem, & consensum media, neque actualis Dei concursus, qui vel nihil est nisi in Deo concurrente, vel à cōsensu non distinguitur: ergo erit habitus infusus, à quo idem consensus effectiuè procedat vt à principio proportionato. Quare cū actus cōsentiendi, qui est vltima dispositio ad gratiam iustificationis fuerit dilectio Dei super omnia, producetur ab habitu diuinæ charitatis eodem momento temporis, sed in genere efficientis prius natura infuso; cū fuerit contritio, producetur à supernaturali virtute pœnitentiæ; cū simul actus fidei, spei, charitatis, contritionis, effectiuè producentur à propriis habitibus, qui omnes in vna & eadem ad fidem, & ad Deum conuersione, vnius gratiæ adiuuantis rationem obtineant.

Sot. 4. lib. sent. dist. 2. art. 6. Et Medina in 1. 2. q. 113. art. 8. affirmant opinionem hanc de efficientia habitus infusi respectu vltimæ dispositionis esse captu difficilē, ægrèque defendi posse. Quin etiā Medi. negat ita sensisse D. Thomam, vt à discipulis exponitur, nec gratiæ nomine habitualement intellexisse, sed actuale auxilium ad conuersionem requisitum. Quidquid tamen sit de mente D. Thomæ, mihi penè certum est, infusos habitus non concurrere efficienter ad eos actus, quibus peccator disponitur ad eosdem habitus recipiendos; quia iuxta rectam philosophandi rationem causa realiter efficiens nullo in genere potest intel-

4
Sot.
Medin.

*Habitus infusi
si nō concurrūt
efficienter
ad actus, quibus
peccator
disponitur ad
eosdē habitus
recipiendos.*

ligi suo effectu posterior, tunc, cum ab ea effectu procedit; neque dispositio præparans subiectum ad aliquam formam recipiendam, potest concipi in esse existentia posterior eadem forma.

Et verò si actus contritionis in genere causæ efficientis habitum pœnitentiæ subsequitur, ab illoque emanat, potius erit dicendum, dari peccatori supernaturalē habitum, vt per illum disponatur ad actum, quā ideo dari, quia cum Dei gratia est dispositus, licet dispositio non mereatur de condigno habitus infusionem. Ex quo etiam fit, vt habitus non infundatur iuxta mensuram dispositionis, quod est cōtra Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. vbi de iustificationis gratia ita dicitur: *Iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriā cuiusque dispositionem, & cooperationem.*

Concil.
Trident.

Deinde can. 3. eiusdem sess. aperte supponit Concilium, illud Dei adiutorium, quod peccatori datur ad credendum, sperandū, diligendum, ac pœnitendum, sicut oportet, saltem prius natura illi conferri, quā iustificationis gratia cum reliquis habitibus conferatur: alienum igitur est à definitione Concilij, atque adeò à veritate asserere, ipsos habitus infusos respectu eius consensus, quo peccator ad Deum conuertitur, habere rationem gratiæ adiuuantis.

Concil.
Trident.

Denique licet possemus cōcedere habitum

in iustificatione infusum iuuare volūtatem ad eliciendam vltimam dispositionem, certum tamen est, nō omnem actum supernaturalem, quem peccator elicit, fieri ex auxilio habitus. Potest enim dari in aliquo supernaturalis attritio sine sacramento, quæ sine adiuuante gratia nō fit, cū sit actus excedens naturalem liberi arbitrij facultatē, & tamen non procedit ab vllō habitu infuso, vt patet, quia cū non sit dispositio completa & vltima, non infunditur gratia iustificationis illam habenti, atque adeo nec supernaturalis habitus pœnitentię, ex quo possit sufficienter procedere: ergo non semper gratia adiuuans consistit in habitibus infusis, nec subinde opus est, vt aliquādo consistat; & ad id persuadendum nihil obiectum est, quod vim habeat, vel peculiari solutione indigeat.

Non omnis actus supernaturalis, quem peccator elicit, fit ex auxilio habitus.

Proponuntur due alie opiniones, prior suadetur argumentis.

REstāt duæ opiniones, in quibus quia videtur esse maior, quàm in cæteris probabilitas, diligentius in earum explicationē incumbemus. Prior est, adiuuantem gratiam non esse aliquid diuersum ab actiuo Dei concursu ad actum cōsentiendi, siue quod eōdem redit, ab ipso Deo, quatenus tanquam causa principalis concurrat cum voluntate peccatoris ad conuersionem, supplendo immediatè, & per se

Prior opinio asserētū gratiā adiuuantē esse actiuum Dei cōcursū.

*Posterior sē-
tentia statuēs
gratiā adiu-
uantē cū ex-
citāte recur-
rere.*

*Vltimū pecca-
toris ad gra-
tiā dispositio
debet esse a-
ctus ordinis
diuini.*

6
*Vltimā dispo-
sitionē ad gra-
tiā homo vi-
ribus natura
non producit.*

*Deū imme-
diatē cōcurre-
re posse cū po-
tentia creata
ad actū super-
naturalem.*

cōcursum habitus infusi. Posterior est eādē-
met gratiam excitantem, quatenus est efficax,
& cū libero arbitrio actu in cōsensum influit,
esse adiuuantem, nec alia opus esse.

Vt meliūs intelligantur, quæ de vtraque
opinione dicam, nonnulla sunt obseruanda. In
primis cōsensus volūtatis, quo peccator vltimò
disponitur ad gratiam, debet esse actus ordinis
diuini, siue sit dilectio Dei super omnia, siue
contritio, aut attritio sufficiens cū sacramento;
cū enim sit vltima dispositio ad formā super-
naturalem, debet esse eiusdē ordinis cum illa,
quod Philosophi & Theologi cōcorditer asse-
uerant.

Deinde non potest homo viribus propriis
prædictam vltimam dispositionem producere,
ac proinde indiget aliquo principio physico
supernaturali, quo ad illam attingendā eleue-
tur. Est hæc obseruatio omnino certa, nec eius
oppositum salua fide dici potest.

Præterea id principium, quo volūtas creata
indiget ad actum supernaturalē producēdum,
vel debet esse Deus immediatē, & absque
media virtute concurrens, vel aliquid aliud,
quod in ea productione sit Dei instrumētum.
Quod enim Deus possit immediatē concur-
rere cum potentia creata ad actū supernatura-
lem absque interuētū alicuius creatæ virtutis,
licet non sit in fide certū, est tamen in Theo-
logia multò, quàm oppositum, probabilius, &
in philosophia euidens; neque enim repugnat

Deum per se immediatè efficere id, quod potest facere per aliquam qualitatem intermediam, ac proinde supplere cõcursum causæ efficientis, quæ vitalis non sit.

Hac de causa graues Theologi affirmant posse Deum efficere, vt creatus intellectus sine lumine gloriæ, aliæque qualitate intermedia diuinam essentiam conspiciat, quoniam per se potest cõpensare influxum luminis, eleuando immediatè intellectum ad visionem. Qua de re videndi sunt Theologi ad q. 12. 1. p. D. Tho. ex quibus hanc obseruationem suppositam volo potius, quàm probatam.

Tandè gratia adiuuans, vt hoc loco de illa agimus, si propriè loquendū sit, intelligi debet esse aliquid ab effectu diuersum, per modum causæ, & productiui principij se habens. Vnde minus rectè loquuntur, qui dicunt illam esse concursum Dei, siue influxum consensui intimum. Si enim concursus nomine intelligatur actus consentiendi, quatenus est à Deo, cum eo etiã pacto consideratus vel non sit aliud, quàm actus ipse simul cū ratione effectus & dependentiæ, vel sit tantum ipsa ratio dependentiæ, aut aliquis modus se habendi ipsius consensus, & ex consequenti quidpiam creatum, hoc est, à Deo pendens, habensque sub eo modo rationem effectus, non causæ, aut principij effectiui; oportet vt nomine gratiæ adiuuantis intelligatur aliud ab ipso concursu diuersum, illumque antecedens secundū aliquam ratio-

Molin. ibi
a. 5. disp. 1. &
in Cõcor. 2d
qu. 14. disp.
36. in fine.

7

Gratiã adiuuantem nõ esse Dei concursũ ostenditur.

nis,

nis, & naturæ prioritatem, sicut causa antecedit effectum. Quod si diuinus concursus sit aliquid ex parte Dei actiuè se habēs ad ipsum consensum, id sanè non potest esse aliud quàm Deus, eiúsue potentia executiua, quatenus actu dat esse consensui. Vnde perindè est asserere diuinum concursum ita consideratum esse gratiam adiuuātem, ac si Deus ipse talis gratia esse dicatur.

Adiuuantis gratiæ appellatione Deū ipsum accipiendum esse, quæ rationes suadeant.

Quod verò hoc ipsum asserendum sit, his argumentis potest suaderi. In primis, quia nullum ex eo sequitur inconueniens; nā & Deus ipse gratia appellari solet, nempe increata; & potest immediatè per se absque medio instrumento liberum arbitriū roborare, eleuare quæ ad actus supernaturales; & aliundè nulla apparet repugnantia: ergo is est, qui voluntatem peccatoris immediatè adiuuat in producendo actu conuersionis, & quod ex eo sequitur, est gratia adiuuans.

Deinde quia si Deus non immediatè per se concurrat ad actum conuersionis, necesse est id præstet medio aliquo instrumento, cui adiuuantis gratiæ ratio tribuatur: at nullo medio instrumēto id efficit; neque enim vritur habitu infuso, aut qualitate cum ipso conuersionis actu abeunte, aut motione diuersa à gratia excitante, aut denique ipsa excitante gratia: ergo immediatè per se, & absque medio instrumento actum conuersionis cum voluntate producit.

In hac enumeratione, quæ videtur sufficiens, solum est excludenda gratia excitans, cætera enim iã sunt exclusa. Quod igitur huiusmodi gratia non sit principium in cõsensum voluntatis realiter ac physicè influens, multipliciter ostenditur. Primò, quia motus gratiæ excitantis est suapte natura imperfectior, quàm actus cõsentiendi; ille enim potest esse timor gehennæ, aut horror fœditatis peccati; hic verò est dilectio Dei super omnia, vel detestatio peccati propter Deum summè dilectũ; at principium effectiuum actus debet naturæ conditione actum ipsum superare. Secundò, quia motus gratiæ excitantis possunt esse secundum suam entitatem ordinis naturalis, cuiusmodi est cogitatio mortis, timor inferni, & similes; cum enim in objecta naturalia ferantur, nulla causa est, cur supernaturales esse possint: at causa suapte entitate naturalis nequit vi propria supernaturalem effectũ attingere; ergo prædicti motus non possunt esse proportionata principia effectiua actuum conuersionis, dilectionis Dei, & similiũ. Tertiò, quia ex sola meditatione bonitatis Dei absque vlla motione voluntatis potest homo in eius dilectionẽ immediatè prorumpere; quo in euẽtu non videtur dicendum eã meditationẽ fuisse causam physicam, & realem illius dilectionis; tũ quia actus vnius potentia non efficit operationes alterius: tum quia probabilius est notitiã objecti non concurrere effectiuè ad actum volũtatis. Quartò,

8

Gratiam adiuvantem ab excitante distingui, quæ suadeant argumenta.
Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

quia

quia interdū cōtingit, vt habeat pia cogitatio, qua quis ad cōuersionem inuitatus est, absque vllō effectu conuersionis; & postea idem, qui fuerat vocatus, ex sola piæ cogitationis recordatione conuertatur: at dici non potest huiusmodi recordationem esse principium supernaturale sufficiens ad conuersionem efficiendam: ergo, &c.

Recēsētur varia discrimina inter excitantē, adiuuā tēmq̄ue gratiam.

Ad hæc, ex variis excitātis & adiuuātis gratiæ differentiis facile colligi potest, esse re ipsa diuersas. Primū eludere possumus, & cassam reddere excitantē; adiuuantem verò, vt talis est non possumus. Deinde nō opus est, vt qui maiore vocatione inuitatur, intentius cōuertatur, quia interdum conuertitur remissius; at quo gratia adiuuans maior est, eo surgit feruentius, qui illa iuuatur. Itē excitans datur, vt velimus, adiuuans cūm volumus, vt ait August. de gratia & lib. arbit. cap. 17. dicens: *Aliter præstat, vt velimus; aliter quòd voluerimus.* Mitto alia discrimina, quæ tradunt alij, & facilè occurrunt.

August.

Proponitur, & confirmatur vera sententia de gratia adiuuante.

9.
Vera sententia gratiæ adiuuantiē ab excitante re ipsa non distinguit.

STatuo gratiam adiuuantem ab excitante re ipsa, & in genere entis nō distingui, verū vnā & eandem diuinā vocationem, quatenus Deus per illam præuenit voluntatem, ad bonūque inclināt, dici excitantem; quatenus verò concurrat cum libero arbitrio ad con-

uersionē dici adiuantē atque adeo ex diuerso officio, varioque respectu ad actum cōuersionis, quem Deus voluntatem incitando procurat, & adiuvando efficit, varias sortiri appellationes. Tenet hanc sententiā Gabr. Vasquius tom. 1. in 1. p. disput. 88. cap. 9. & inter alios eam frequentius repetit Molina, & validius tuetur in cōcord. ad q. 14. art. 13. disput. 36. & sequentibus. Nec omnino alienus est Soarius suprā citatus.

Suaderi potest his argumētis. Primò; Cū peccator per internas illustrationes, & inspirationes à Deo vocatus renuit obedire, non solūm rejicit gratiam excitantem, sed etiam adiuantem, siquidem spernit totum id, quod ex parte principij effectiui necessarium est, ac sufficit ad opus cōuersionis, vt patet, & postea dilucidius explicabitur, cū sermo erit de gratia sufficiente: sed præter gratiam uocationis, quæ consistit in pia mentis cogitatione, & in motu voluntatis indeliberato, nihil aliud peccator respuit, quando non consentit; ergo uocationis gratia non solūm est illa, quæ dicitur excitans, sed illa etiam quæ dicitur adiuvans, cū peccator illi cooperatur in opere conuersionis.

Secundò; de gratia excitante dicitur, quòd sit efficax, aut non efficax: nam si tempore illo detur, quo sortiatur effectum dicitur efficax; si caret effectu, dicitur inefficax, siue nō efficax; quod non obscure indicatum est à Concil.

Vasq.

Molina.

Soar.

*Confirmatur
argumentis.
Primum.*

10
Secundum.

E

Trident.

m 44

Conc. Trid. Trident. locis supra citatis, maximè verò cap. 5. vbi post alia ita dicitur: *Vt qui propter peccata à Deo auersi erant, per eius excitantiem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratia liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Eandem gratiam dicit eam, qua peccator vocatur, & cui per liberum arbitrium cooperatur. Et can. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quod ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac preparet; neque posse dissentire, si velit, anathema sit.*

Augustin.

Ex his sic infero, si liberum arbitrium eius, qui conuertitur, cooperatur gratiæ excitanti, atque vocanti, rectè sequitur ipsam gratiam excitantem, & vocantem libero etiam arbitrio cooperari: nam cooperans relatiuè dicitur ad cooperatorem, hoc est ad eum, qui idè opus peragit. Sed multò apertiùs habetur idem institutum ex August. cum alibi, tum in lib. de Prædestin. Sanct. cap. 19. vbi meminit vocationis efficax, quam appellat *Vocationem sine pœnitentia, & secundum propositum*; & epist. 107. appellat *Vocationem altam & secretam*. Quare cum gratia excitans tunc dicatur efficax, cum libero cooperatur arbitrio in opere conuersionis; non dubium, quin etiam adiuuans dici debeat, quia concurrente cum eodè libero arbitrio ipsum corroborat, & eleuat ad supernaturalem actum producendum.

Tertiò,

Tertiò; eandem esse gratiam operantem, & excitantem, eandem cooperantem & adiuuantem plerique admittunt: atqui probatum est eandem motionem diuerso respectu dici gratiam operantem, & cooperantem: ergo eadem quoque erit excitans & adiuuans. Confirmatur, quia fides, quatenus præcedit actum conuersionis, pertinet ad gratiam excitantem, cum sit quædam pia cogitatio ad diligendum Deum, vel propter ipsum de peccatis dolendum, voluntatem alliciens: constat autem ex epist. Iacobi cap. 1. & ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 10. *Fidem bonis operibus cooperari*, ac proinde esse interdum gratiam cooperantem; ergo eadem etiam est adiuuans, & quod ex eo sequitur, excitans & adiuuans re ipsa non distinguuntur.


Quartò; Concilia & Patres, cum de auxiliis diuinæ gratiæ loquuntur, nullo modo videntur distinguere excitantem ab adiuuante, nisi ex diuersa habitudine ad liberum arbitriū, aut eius cooperationem. Patet ex Arausiano Concil. 2. can. 3. 5. 6. 7. 9. ex Trident. locis sæpe citatis, & ex iis, quæ ex August. supra retulimus, & postea referemus; quamuis enim in modo loquendi adiuuantem ab excitante aliquando distinguant; numquam tamen sic illas distinguunt, vt significant esse qualitates, aut actiones re ipsa diuersas. Quin potius August. sæpè vocationem vocat efficacem, vt dictum est, & simpliciter affirmat gratiâ Dei

II
Tertium.

Iacob. 1.
Conc. Trid.
Fides interdum est gratia cooperans.

II
Quartum.

Cóc. Arausi.
Trident.



vocari peccatorem ad salutem, & in ea consequenda iuvari, quod de auxilio re ipsa vno commodè intelligitur.

Quintum.

Quintò, Existente illustratione intellectus, & inspiratione voluntatis, vt propter Deum doleat de peccatis, absque aliquo alio principio effectiuo, quod sit requisitum ex parte Dei, potest ipsa voluntas liberè eum dolorem concipere, quo disponatur vltimò, & proportionatè ad gratiam iustificationis; quid enim aliud requiritur, si Deus suum concursum non deneget, quem negare sine miraculo non potest? Ergo illa eadem gratia, qua Deus peccatorem vocat, habet veram & propriam rationem gratiæ adiuuantis, quatenus illi voluntas, aut illa voluntati cooperatur.

12
Sextum.

Sextò; Gratia adiuuans neque est Deus ipse, neque aliquid aliud præter auxilium excitans, cui homo consentit: illud igitur dici debet gratia adiuuans. Nam esse aliud præter Deum, patet ex dictis. Non esse Deum, probò, tum quia licet Deus dici queat gratia increata, adiuuans tamen gratia neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque à Patribus appellatur. Tum quia eodem modo dicitur Deus adiuuare per suam gratiam, quo dicitur per gratiam vocare; vt igitur gratia vocationis est donum creatum à Deo distinctum, ita debet esse gratia adiutorij. Tum quia cum Concilia, & Patres loquuntur de auxilio gratiæ adiuuantis, indicant illud esse donum collatum

homi

homini, illique inhærens, sicuti est gratia vocationis, & gratia iustificationis. Tum demum, quia licet Deus absque medio instrumento possit simul cum libero arbitrio efficere actum contritionis, in quo, ut dixi, nulla est repugnancia; tribuere tamen solet causis secundis virtutes effectibus proportionatas, per quas operentur; siue tales causæ sint in statu perfecto, siue imperfecto; neque immediatè solus per se earum actiones attingit, quia id postulat suavis ordo diuinæ prouidentia, cui imperfectus causæ secundæ status nihil obesse potest.

Quæ in hac postrema opinione confirmanda hucusque dicta sunt, duo probant. Primum est, gratiam excitantem, & adiuuantem non esse re ipsa & intrinsecè diuersas: sed accidentaliter tantum, & extrinsecè. Alterum est, influxum excitantis gratiæ in actum conuersionis non esse tantum moralem, sed etiã physicum & realem. Quod posterius contra se habet illas difficultates in argumento contrario propositas. Quòd gratia excitans sit ignobilior consensu. Quòd interdum sit entitas naturalis ordinis, consensus semper supernaturalis. Quòd possit esse sola pia cogitatio, quæ cum sit actus intellectus, non videtur posse esse causa effectiua realis respectu consensus: tum quia probabile est obiecti notitiam non efficere actum voluntatis; tum quia operatio vnius potentia non efficit operationes alterius. Denique quòd aliquando ex re-

cordatione piæ cogitationis præteritæ possit homo in actum conuersionis erumpere; incredibile verò est talem recordationem attingere posse efficientia physica, aut contritionis actum; aut dilectionem Dei super omnia. Cætera, quæ sunt obiecta, non habent multum roboris, & soluta relinquuntur. His tamen satisfaciendum erit.

Diluuntur argumenta, quæ veræ sententiæ officiunt.

13
Ad primum.
Ita docet Fō
sec. 9. meta-
phy. c. 5. q. 4.
Sect. 4. Theo-
logi frequē-
tius docent
habitus infu-
sos præstare
actibus, teste
Soar. 3. lib. de
auxil. cap. 4.
num. 7.

Respondeo ad primum argumentum, gratiam excitantem esse natura sua ignobiliorem consensu; at non ex eo effici, vt illum nequeat physicè attingere; ad id enim satis est, quòd principalis causa, quæ ea gratia vtitur tamquam instrumento, consentiendi actu sit nobilior. Nam graues auctores sentiunt lumen gloriæ esse imperfectius visione beatifica, & habitus supernaturales superari ab iis actibus, quos efficiunt, quod non est nobis in præsentia necessarium, quoniam licet huiusmodi habitus suis actibus quo ad entitatem præstent, quod ego puto verisimilius; non tamen opus est, vt virtus in fluxu consistens, & suapte natura deficiens sit effectui suo excellentior. Et verò causam instrumentariã attingere posse effectum longè nobiliorem, celebre est, & receptissimum in philosophia, vbi constat calorem gignere posse carnem, vt

est instrumentum sensitivæ substantiæ, phantasiâ producere speciem intelligibilem ordinis nobilioris, quatenus cum agente intellectu coniungitur, & animæ humanæ instrumentum est, & ita in sexcentis aliis.

Ad secundum respondeo, motionem præuiam, quæ in consensum influit, non esse entitatem ordinis naturalis, sed supernaturalis. Nam vt rectè aduertit Molin. in concor. ad q. 14. disput. 35. non quælibet sancta cogitatio, aut quælibet pia voluntatis motio dici debet gratia excitans, aut inter auxilia gratiæ est referenda: cogitationes enim, & inspirationes bonæ à sanctis Angelis absque speciali Dei auxilio in hominum animis excitatæ nõ pertinent ad ordinem gratiæ, nec per se cooperari possunt libero arbitrio ad cõuersionem, quamuis ad illam extrinsecus adiuuent; nam si id per se possent, per naturam perfici posset conuersio, aut ex ea posset esse initium salutis, quod nefas est asserere. Illustrationes igitur, & inspirationes, quibus gratia excitans continetur, cum ex parte obiecti inuoluant aliquid diuini ordinis, & à Deo, vt ab auctore gratiæ in nobis fiant, quamuis de gehenna sint, vel de fœditate peccati, vel de alio simili obiecto, habent supernaturalem entitatem, quemadmodum contritio, & alij actus eiusdem rationis.

Ad tertium respondeo, si contingat ex sola pia cogitatione, non interueniente aliqua in-

Ad secundū.

Molin.

14
Ad tertium.

spiratione, prodire voluntatem in actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia, eam cogitationem sufficere ad concurrendum physicè cum libero arbitrio ad talem actum. Quod opponitur de notitia obiecti circa actum voluntatis, philosophicum est, & nihil incommodat. Quamuis enim effectiuè non concurrat, quatenus est obiecti cognitio, quod in præsentia non definitio, alia tamen ratione concurrere efficièter potest, nimirum vt instrumentum Dei eleuantis voluntatem ad actum supernaturalem. Nec verum est, operationes vnius potentiæ non habere efficientiam in operationes alterius, puto enim actiones imperatas efficienter procedere ab iis volitionibus, quibus imperatur, & vniuersim actiones internas animalium esse immediata principia effectiua exteriorum, & has illis esse per se subordinatas; de qua re multa dicunt Philosophi, & copiosè, atque eruditè Fonseca lib. 9. metaphys. cap. 2. quæst. 6.

Fonsec.

Vtrum peccatoris voluntas in actum conuersionis ex pia tantum cogitatione prodire queat.

Vtrum verò ex pia tantum cogitatione queat interdum peccatoris voluntas in conuersionis actum prorumpere, quod in argumento suppositum est, non probatum, verti dubio potest. Ego non ausim partem affirmatiuam simpliciter tueri, quia licet in Conciliis nomine inspirationis ad conuersionem peccatoris requisitæ intelligi possit sola pia cogitatio; tamen nec ea acceptio vñitata est, nec video cur negari debeat in omni conuersione

aliquam

aliquam voluntatis motionem non deliberatam, tempore, aut natura præcedere, quasi necesse sit ita posse rem contingere in hoc supernaturali processu, vt in naturali, in quo voluntas ex cognitione obiecti potest immediate in illud tendere. Quod si quis dicat solam piam cogitationem sufficere, vt liberum arbitrium absque alio voluntatis motu indeliberato de peccatis doleat, aut Deum summè diligat, non idcirco coget, vt pariter concedamus cum sola piæ cogitationis recordatione id posse efficere, nisi ipsa quoque recordatio sit à Deo immissa ad finem salutis, quo pacto rationem habebit auxiliij excitantis, eritque pia cogitatio, & gratia vocationis.

Vtrum differant inter se gratia præueniens, comitans, subsequens.

P A R S Q V I N T A.

PRæuenientis gratiæ vocabulum ex sacris Litteris habetur in illo versiculo. Psal. 58. *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* vbi vocationis gratia dicitur misericordia, quia misericorditer confertur. Huius gratiæ frequenter meminerunt Patres, frequentius August. sæpè indicans diuisionem gratiæ in præuenientem, & subsequentem, de qua statim.

Solet aliquando præueniens tam latè acci-

¹
Psal. 58.

Præueniens gratia dicitur misericordia.
Augustin.

*Gratia cur
præueniēs di-
catur.*

pi, vt comprehendat non solùm internas illu-
strationes, & inspirationes, sed externa quo-
que gratiæ beneficia, quibus Deus homi-
nem singulariter protegit, & promouet, oc-
casiones peccatorum auertendo, & bene o-
perandi opportunitatem offerendo. Sed hoc
loco de præueniente gratia pressius agendum,
quatenus significat speciale auxilium, quod
liberum voluntatis consensum anteuenit;
ea enim de causa præueniens dicitur, non
ob aliam causam, vt Doctores quidam opi-
nantur.

*Eadem est
gratia præue-
niēs, excitās,
& adiuuans.*

Gratia igitur excitans aptissimè dicitur
præueniens. Qui putant adiuuantem ab exci-
tante distingui, & consistere in aliqua motio-
ne, vel qualitate conuersionem antecedente,
diuidunt gratiam præuenientem in excitan-
tem, & adiuuantem, quia vtraque liberum
consentiendi actum præuenit. Sed iam opi-
nionem illam exclusimus; vnde superest,
vt vna, & eadem sit re ipsa gratia præue-
niens, excitans, adiuuans; solùm inuoluit
respectus diuersos, vt hoc, aut illo modo si-
gnificatur.

*Gratia comi-
tā'is qui me-
minerint.
Conc. Trid.*

Comitantis vocabulum in Patribus, & an-
tiquis Theologis minus celebre est. Eius me-
minit Concilium Trident. sess. 6. capit. 16. lo-
quens enim de iugi Christi Domini influxu
in iustificatos, instar capitis in membra, & vi-
tis in palmites, sic ait: *Que virtus bona eorum
opera semper antecedit, & comitatur, & subsequi-*

tur.

tur. Non dubitant Scholaſtici comitantē eandē eſſe cum adiuuante; quoniā comitari opera, aut voluntatem operantem, non eſt aliud, quā opera efficere, aut operanti cooperari, quod eſt proprium munus adiuuantis, quatenus talis eſt; ex quo fit, vt iuxta dicta, comitans à præueniente differat per ſolam habitudinem ad effectum, hoc eſt ad liberum voluntatis conſenſum, diuerſo enim modo illum reſpiciunt, vt ex iſtis vocabulis colligi poteſt.

Gratia comitans qua ratione à præueniente differat.

De ſubſequentē maior videtur eſſe dubitatio. Credet aliquis, Dei gratiam dici ſubſequentem, quia licet conuerſionem præueniat, non præuenit tamen omnem actum liberi arbitrij in negotio ſalutis, ſed aliqua ſit pia hominis operatio naturæ viribus elicitæ, quæ omnem Dei gratiam antecedit, reſpectu cuius motus gratiæ dicatur ſubſequi. Id videbitur ſignificari illis verſiculis *Pſalmi vigelimi ſecundi, Miſericordia tua ſubſequetur me.* *Pſalmi octuageſimi ſeptimi, Manè oratio mea præueniet te.* *Pſalmi centelimi decimi octauo, Præueni in maturitate, & clamaui.* & iterum, *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo.*

2
Gratia ſubſequens.

Pſal. 22.

Pſal. 87.

Pſal. 118.

Verum hæc exiſtimatio Pelagiana eſt, impia, & fidei aduerſa. Salutis enim, & pij operis ad iuſtificationem pertinentis initium à Deo eſt, homines ex pura miſericordia vocante. Vnde in Arauſic. Concil. 2. can. 3. ita de-

Salutis, iuſtificationiſque initiū à Deo.

Cōc. Arauſi.

m 49

Efai. 65.
Ad Rom. 10.

finitum est: Si quis per inuocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut inuocetur à nobis, contradicit Esaiâ Propheta, vel Apostolo idem dicenti: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.

³
Augustin.

Eandem veritatem tradidit August. lib. 2. contra duas epist. Pelag. capit. 9. ita scribens: Auertat Deus hanc amentiam, ut in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia eius præueniet me, & ipse est, cui fideliter, veraciterque cantatur, Quoniam præuenisti eum in benedictione dulcedinis. & infra: Benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & cupiamus, hoc est, amemus, quod præcepit nobis, in qua si nos non præuenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere: profecto nec incipere, nec perficere. quia ut incipiamus dictum est, Misericordia eius subsequetur me. Paulò inferius: Hominis propositum bonum adiuuat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Huius generis multa sunt apud eundem, tum eodem loco, tum de Natur. & grat. cap. 3. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & mille locis alijs. Itaque non præuenit homo omnem motum gratiæ in negotio salutis, sed nonnunquam priori aliquo auxilio præuentus, & excitatus erat, ut aliud consequatur, quo pacto intelligenda, & explicanda sunt testimonia ex Psalmis relata.

Pulchrè hac
de re Grego.
24. moral. c.
6. ad fin. libr.
33. cap. 20. in
prin. li. 17. ca.
9. ad fin. libr.
18. c. 22. post
med. libr. 22.
capit. 5.

Dicat

Dicat fortasse aliquis, non esse absolute negandum, posse in homine adulto aliquam bonam operationem ex naturae viribus elicita praeuenire omnem Dei gratiam, iuxta illud, quod Theologi communiter vsurpant: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* vt hac ratione concedi queat, aliquam praeparationem, saltem remotam, ad gratiam iustificationis, ex libero hominis arbitrio oriri, propter quam Deus gratia sua misericorditer ipsum inclinet ad vltimam, ac proportionatam gratiae sanctificanti dispositione, & cantare possit illud Dauidicum, *Misericordia tua subsequetur me.*

⁴
Obiectio.

*Quomodo intelligenda sit illa propositio,
Facienti quod in se est viribus natura
Deus non denegat
gratiam.*

Psal. 22.

EGo existimo nullo modo esse concedendum, aliquam praeparationem, siue dispositionem ad gratiam ex nostro libero arbitrio oriri, nisi valde improprie de dispositione remotissima, & maxime improporcionata sermo sit. De hac enim intelligi debent nonnulli Catholici Doctores, cum aiunt, posse hominem propriis viribus remote, & veluti indirecte se ad gratiam disponere; quo pacto loquuntur Richard. in 2. d. 28. ar. 1. q. 2. Durand. q. 5. Gabr. dist. 27. qu. 1. art. 2. & in 1. d. 4. q. 1.

Occurritur
praecedens ob-
iectioni.

Richard.
Durand.
Gabr.

art.

Caietan.

art. 2. & 3. Caiet. in 1. 2. q. 109. art. 6. & alij, qui concedunt posse voluntatem nostram absque speciali gratiæ auxilio concipere dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, & meritorie de congruo ad gratiam habitualement ultimè se disponere: qui vtrum cum Semipelagianis sentiant, non est hoc loco à nobis definiendum.

4

Quorundam
explicatio.

Quod attinet ad illam propositionem: *Faciens quod est in se Deus gratiam suam non denegat.* video non eodem modo à Doctoribus explicari. Quidam enim sic illam intelligunt vt asserant, si homo habens solum lumen naturale rationis ita se gerat, vt bene moraliter operetur, quantum propriis viribus operari potest, fore, vt Deus necessaria gratiæ auxilia illi conferat, quibus proximè, & proportionatè ad iustificationem disponatur. Ita Driedo de concord. lib. arbit. & predest. 2. p. capit. ultimo, & de captiuit. & redempt. gener. hum. tract. 5. cap. 2. p. 2. Ruard. art. 7. §. Doctores autem Scholastici. Gabr. d. 27. citata, q. 1. art. 2. & 3. & in 3. d. 27. q. 1. art. 3. & multi alij. Verùm hæc explicatio pluribus non placet, quòd videatur Massiliensibus Semipelagianis fauere, & ex ea posse hominem propriis viribus se ad gratiam preparare; nam si potest ex naturæ facultate bene vti libero arbitrio, & bene vtenti infallibiliter confertur à Deo gratiæ auxilium ad opus conuersionis, sequitur aliquo modo tribui posse bono vsui liberi

Dried.

Ruard.

Gabr.

Refellitur
precedens
explicatio.

arbitrij

arbitrij salutis assecutionem, & aliquod iustitiæ initium esse à natura. Aiunt igitur sic esse prædictam propositionem explicandam: *Faciendi quod in se est per dona gratiæ à Deo habitata, non deerit idem Deus, sed alia ulterius dona concedet.* Ita D. Thom. in 2. quæst. 109. art. 6. ad 2. & q. 11. art. 2, & 3. Bonauen. in 2. d. 28. art. 2. q. 1. ad 3. & alij, quibus idem videntur sensisse Alexander Alenf. 3. p. q. memb. 5. ar. 3. Gerson Alphabet. 24. liter. n. & Altifiodorenf. lib. 3. summæ tract. 2. capit. 1. q. 5. cum tamen hi absolutè dicant: *Faciendi quod in se est ex natura viribus, Deum non denegare gratiam;* nec explicationem illam attingant.

Sic igitur hac in re sentire oportet, vt affirmemus quidquid nobis ad salutem necessarium est, præter naturales potentias, quibus actus elicimus, totum id ex misericordia, & gratia Dei tribui absque vllò nostro merito. Vnde si prædicta propositio intelligatur de aliqua positiua dispositione, ad quam ex lege Dei gratia consequatur, falsum omnino est, Deum non denegare gratiã facienti, quod est in se ex viribus naturæ. Nam opera moraliter bona ex liberi arbitrij facultate facta (si quæ ita fieri possunt) non disponunt hominem ad gratiam, aliudue supernaturale donum obtinendum, quia sunt inferioris ordinis, & prorsus improportionata. Si verò ita intelligatur, vt sensus sit, homini facienti ex suis viribus, quod in se est, nõ denegare Deum

Aliorum ex-
positio.

D. Tho.
Bonau. Alex.
Alenf.

5
Quomodo ac-
cipienda sit
præfata pro-
positio.

oppor

opportuno tempore suæ gratiæ auxilium, non quidem ex vlllo merito hominis operantis, neque de condigno, neque de congruo, sed ex generali quadã liberalitate, qua confert omnibus auxilia sufficiëntia, eosque ad se vocat gratia præueniente, concedenda videtur propositio, & idem valet, ac si accommodatiùs diceretur, Deum ex sua liberalitate, atque ex pura misericordia dare suam gratiam non ponenti obicem, & impedimentum per ea, quæ propriis viribus facere potest.

Concilium
Tridentinũ.
Deus neminem deserit, nisi prius ab ipso deseratur.

1. Timoth. 2.
Ambrosius.

6

In hoc sensu explicata propositio nihil habet cum Semipelagianis commune, quin potiùs videtur expressè tradita in Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 11. & 13. illis verbis: *Deus neminem deserit, nisi prius ab ipso deseratur.* Dicitur enim homo Deum deserere, cum malè vtitur libero arbitrio, & peccando obicem ponit diuinæ gratiæ. Si faciat quantum potest in exercitio moralium virtutum, iam ex se obicem non ponit, ac proinde dabit illi Deus sufficientia gratiæ auxilia, quia *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem Dei venire*, vt ait Paulus, & explicat Ambrosius, vel potiùs Remigius nomine Ambrosij ad eundem locum: *Non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint.*

Quare si quis dicat, Deum non denegare auxilium gratiæ excitantis homini declinanti à malo, & facienti bonum, quantum potest per vires naturales, dummodo non affirmet

dari

dari illi gratiam ex meritis, sed ex mera Dei liberalitate, & ex lege tantum communi, qua statuit neminem deserere, sed conferre omnibus auxilia gratuita ad salutem sufficientia, & praesertim illis, qui per demerita, & peccata obicem non ponerent, nihil dicet, quod errorem sapiat, aut vlla reprehensione dignum sit. Nam praeter Durandum, Richardum, Gabrielem, Caietanum, Driedonem, Ruardum supra citatos, propositionem illam simpliciter concedunt in sensu à nobis explicato, vel in alio etiam ampliori. Scotus in 2. dist. 28. quaest. vnica. circa finem. & in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 2. Molina in concord. ad quaest. 14. disput. 10. Soarez lib. 3. de auxili. cap. 2. ad finem. Adrianus quodlibeto 7. quaest. 4. & Vega in Concil. libr. 6. cap. 11. vbi solum negat meritum de condigno, & congruo in operibus bonis ordinis naturalis ad obtinendam gratiam. Nec aliud videntur negare Doctores, qui pro opposita sententia referuntur: solum enim contendunt, non posse hominem per vires naturae ad gratiam se disponere; quod verum est. Sed haec obiter & occasione illius versiculi: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae*: cuius germanus sensus remotus est à praesenti quaestione: significat enim vates se à Deo nunquam deserendum, sed eius misericordiam, & bonitatem per omnem vitam comites habiturum.

Durandus,
Richardus,
Gabriel,
Caietanus,
Driedo,
Ruardus,
Scotus,
Molina,
Soarez,
Adrianus,
Vega.

Psalm. 22.
A. 22. m. 1. 2.
Fulgencius
Gregorius.

D. Thomas.

Sed ad institutum reuertor. Ex Catholicis Doctoribus, qui putant, gratiam adiuuantem ab excitante differre; facile dicunt, adiuuantem comparatione excitantis appellari subsequenter, quod excitans prior sit, adiuuans posterior, ac proinde subsequens. Cæterum refutata distinctione, non habet locum explicatio. Alij cum D. Thoma in 1. 2. quæst. 111. art. 3. habituali gratiæ diuisionem accommodant, & propositis quinque gratiæ effectibus, aiunt, gratiam, quatenus priorem effectum causat, dici præuenientem comparatione secundi; quatenus verò causat secundum, dici subsequenter respectu primi. Et quemadmodum vnus effectus est alio prior, & alio posterior; ita eandem gratiam dici præuenientem, & subsequenter respectu diuersorum.

7

Augustinus,
Fulgentius,
Gregorius.

Hoc etiam quamuis alioquin rectè cohæreat, non est tamen iuxta mentem Augustini, & aliorum Patrum, nec præsentis instituto congruit. Patres enim communiter gratiam actualem intelligunt, cum de præueniente, & subsequente loquuntur, vt videre est apud Augustinum, lib. de Natur. & grat. cap. 32. Fulgentium, lib. 1. ad Monimum, cap. 11. & Gregorium, lib. 16. Moral. cap. 10. vbi sic scribit: *Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait: Gratia autem Dei sum id, quod sum: & quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: Et*

gratia


gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Qui dum se de se nihil esse conspiceret, ait: Non autem ego: & tamen quia se esse aliquid cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, si cum praeueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Ecce Gregorius totum gratiae negotium de actuali gratia explicat: & quemadmodum gratia subsequens dicitur, quia cooperando libero arbitrio illud quodammodo subsequitur, ita ipsum liberum arbitrium appellat subsequens, quia cooperando gratiae, illam subsequitur. Itaque sicut Patres non agebant contra Pelagium de gratia iustificationis, sed de auxilio gratiae actualis; ita ex eorum mente actuali gratiae accommodandae sunt huiusmodi diuisiones.

*Eadem est re ipsa gratia subsequens,
& praeueniens.*

INtellecta igitur praedicto modo diuisione, dicendum est, subsequentem gratiam eandem esse re ipsa cum praeueniente, sed propter diuersos respectus sortiri diuersas appellationes. Dicitur praeueniens, quatenus consensus antecedit: consequens, quatenus ipsum cum libero arbitrio efficit, sic enim iuuando subsequitur, ut dixit Augustinus lib. 2. contra

8
Eadem re
ipsa est gra-
tia subse-
quens, & prae-
ueniens.

Augustinus.



m53

quens gratia; sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia. Quibus verbis aperte indicat, eandem esse gratiam adiuuantem, & subsequentem; cum verò eadem sit adiuuans, quæ excitans, ac præueniens, sequitur, eandem esse præuenientem, & subsequentem.

Gratia subsequens aliquando pro alia ab excitante diuersa accipitur ab Augustino.

Augustinus.

Fulgentius.

Concilium Tridentinū.

9
Non opus esse

Non est negandum, sumi aliquando ab Augustino gratiam subsequentem pro alia ab excitante diuersa, ut in illo cap. 32. de Natur. & grat. cum ita scribit: *Præuenit, nempe gratia, ut sanemur; quia & subsequetur, ut etiam sanati vegetemur. Præuenit, ut vocemur; subsequetur, ut glorificemur. Præuenit, ut pie viuamus; subsequetur, ut cum illo semper viuamus.* In his verbis nomine gratiæ præuenientis intelligit Augustinus eam, qua nos Deus ad sanitatem inuitat; nomine verò gratiæ subsequentis intelligit illud auxilium, quo in adepta gratia perseueramus. Quod etiam egregie expressit Fulgentius ad Monimum, cap. 11. *Præuenit impium, ut fiat iustus; subsequitur iustum, ne fiat impius. Præuenit elisum, ut surgat; subsequitur eleuatum, ne cadat.* Hac eadem ratione Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. videtur accepisse gratiam subsequentem, cum dixit: *Virtutem Christi semper antecedere, comitari, & subsequi bona iustorum opera.* Sermo enim est de bonis operibus, quæ iusti homines post iustificationem efficiunt.

Quamquam neque hoc modo opus est plura gratiæ auxilia re ipsa distinguere. Nam

eadem

eadem Spiritus Sancti inspiratio, qua iustus inuitatur ad bona opera patranda, potest ipsum operantem comitari, & subsequi, præueniendo bene operandi propositum, ipsumque simul cum voluntate efficiendo, & ad executionem perducendo: quo pacto diuersa ratione dicitur præueniens, comitans, & subsequens. Sic enim dicitur in eadem gratia rectè intelligitur illud Augustini in Enchiridio, cap. 32. *Nolentem præuenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Concordat Collecta Ecclesiastica in decimasexta Dominica post Pentecostem: *Tua nos, Domine, gratia semper & præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Cuius generis multa sunt apud Patres; quæ tamen alij Doctores diuerso modo explicant: sed probabiliora nobis videntur, quæ diximus, & præsentis instituto abundè sufficiunt.

plura gratia
auxilia re
ipsa distin-
guere.

Augustinus.

*Vtrum actualis gratia rectè diuidatur in
sufficientem, & efficacem.*

P A R S S E X T A.

Affirmatiua resolutio est inter Doctores Catholicos communis, & in fide certa. Antequam ex Scriptura, Conciliis, & Patribus illam probo, scire oportet, gratiam sufficientem aliquando illam dici, quæ ad producendum effectum sufficit, siue re ipsa produ-

Gratia effi-
cax, sufficiens
interdum ap-
pellatur.

2. Cor. 12.

Prosper.

augustinus

2

Gratia suffi-
ciens qua di-
catur apud
Theologos.

3

Augustinus.

cat, siue non producat. Hac ratione, quæ effi-
cax est, appellatur quandoque sufficiens. Ta-
lis illa erat, quæ data est Paulo ad vincendam
tentationem: sic enim illi Dominus 2. Co-
rinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Hoc est, ha-
bes gratiam sufficientem, qua possis Satanae
angelum vincere, si velis. Prosper quoque
lib. 2. de vocat. *Sen.* cap. 15. efficacem gra-
tiam appellat sufficientem, cum ait: *Auxi-
lium diuinum quibusdam sufficere ad remedium,
aliis ad testimonium;* indicat ita esse in quibus-
dam sufficiens, vt etiam ad assequendam sa-
lutem sit efficax, in aliis sufficiens quidem
esse, sed non efficax.

In Schola tamen Theologica gratia suffi-
ciens dicitur illa, quæ habere potest effectum,
sed non habet, & hoc modo ab efficaci di-
stinguitur. Si constet dari gratiam aliquam,
quæ suapte vi sufficiat ad producendum si-
mul cum libero arbitrio actum conuersionis,
cum aliunde apertum sit dari efficacem, pla-
num erit aptam esse in vtrumque membrum
diuisionem. At omninò certum est, multos
sufficientibus Dei auxiliis ad pœnitentiam à
peccatis, & ab infidelitate vocari ad Fidem,
qui tamen vocationi non respondeant: est
igitur aliquod Dei auxilium ad conuersio-
nem sufficiens, & non efficax.

Et quidem vtriusque membri expressè me-
minit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap.
11. dicens: *Istam gratiam nunquam habuit pri-*

mus homo, qua nunquam vellet esse malus: sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam esset malus, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset. Paulò inferiùs loquens de Adamo: Dederat, inquit, adiutorium, scilicet Deus Adamo, sine quo in ea, bona scilicet voluntate, non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in eius libero reliq. t. arbitrio: posset ergo permanere, si vellet, quòd dederat adiutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet.

Datur auxilium sufficiens, quod non sit efficax.

EX dictis manifesta est Augustini mens de utroque gratiæ membro. Sed adhuc probandum est, dari plerisque auxilium ad conversionem sufficiens, quod non sit efficax. Id in primis patet ex Litteris diuinis. Prouerb. i. conqueritur Deus de peccatoribus, qui ad pœnitentiam vocati audire noluerunt: *Quia vocani, inquit Deus, & renuistis, &c.* Non posset iustè conqueri, quòd renuerint audire, nisi vocatio ad audiendum esset sufficiens. Esai. 5. *Quid est, quod ultra debui facere vinea meæ, & non feci?* Et cap. 65. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Matth. ii. *Va tibi Bethsàida, va tibi Corozaim, &c.* Et cap. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, &*

Datur auxiliũ sufficiens, sed non efficax.

Prouerb. i.

Esai. 5.

Esai. 65.

Matth. 11.

Matth. 23.

m 55

Ioann. 15.

noluisti. Ioann. 15. *Si non venissem, & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent.* Huius generis multa sunt in sacris libris, in quibus ideò Deus iustè queritur de peccatoribus obstinatis, quia sufficientia illis contulit auxilia, quibus, si vellent, conuerti possent; alioqui non essent iustæ querimonix: quia nemo iustè queritur de alio q̄ od non faciat, quod facere non pote...

5
Concilium
Arausicanū.

Patet deinde eadem veritas ex Conciliis. In Arausicano II. Can. 25. dicitur: *Hoc secundum Fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, que ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ecce ex Concilio omnes baptizati accipiunt gratiam, qua implere possint, quæ pertinent ad salutem, hoc est, sufficientem, cum constet non omnes adimplere.

Concilium
Tridentinū.

In Tridentino, sess. 6. cap. 5. *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest.* Et Can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac preparat; neque posse dissentire, si velit: anathema sit.* Hæc, & alia similia apertissimè ostendunt dari aliquod speciale diuinæ gratiæ auxilium, quod sufficiens sit ad salu-

tem,

tem, & nihilominus hominum malitia casum reddatur.

Hæc eadem constans est Patrum doctrina. Clemens Papa Epist. 3. ita scribit: *Si me docente ea, qua ad salutem pertinent, recipere quis abnuuit, ex semetipso habebit peccandi causam.* Irenæus lib. 4. cap. 71. sic ait: *Vis à Deo non fit, sed bona sententia adest illi, remque homini, semper, & propter hoc consilium . . . dem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis. Abjicientes igitur bonum, & quasi respicientes, merito omnes in iustum iudicium incident Dei.* Boni consilij vocabulo intelligit Irenæus auxilium gratiæ sufficiens ad salutem, quo possint uti ij, quibus datur; sed quia illud abjiciunt, idè damnatione digni censentur.

Omissis verò aliis Patribus, vnus Augustinus multis locis absolutissimè rem definit, lib. 2. de Peccatorum merit. & remiss. cap. 17. *Cum voluntate, inquit, humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita homines possint esse, cur non sunt, possem facillimè, ac veracissimè respondere, quia homines nolunt.* Lib. 83. Quæstion. quæst. 68. *Ad illam, inquit, cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam, ut venirent vocati, erat in libera volun-*

6
Clemens.

Irenæus.

7
Augustinus.

Homines possunt esse in hac vita sine peccato, sed non sunt, quia nolunt.

tate. Lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Noluit, inquit, Esau, & non cucurrit; sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio præuenisset, qui etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta, reprobus fieret.* Hæc satis ex Augustino, in quo huius generis sunt penè infinita, quibus docet dari gratiam sufficientem, & inefficacem.

8
Dari omnibus à Deo sufficientem gratiã, euidenter demonstratur.

Accedat v. 10: sublata de medio gratia sufficiente, nulla causa est, cur aut vitio peccatoris tribuatur, quòd à statu peccati non resipiscat, cum non habeat sufficiens auxilium ad resipiscendum, aut primus homo dicatur sua culpa cecidisse, si eam gratiam nõ habuit, qua stare posset, si vellet; aut non dicatur Deus hominem deserere, cui sufficienti auxilio non opitulatur. At peccator suo vitio perseuerat in peccato; Adamus culpa sua cecidit; neminem Deus deserit, quin ab eo priùs deseratur. Oportet igitur fateri, præter gratiam efficacem dari aliam non efficacem, sed ad conuersionem sufficientem.

9
Lutherus, & Calvinus tollunt auxilium sufficientem.

Hæretici asserunt, neminem sua culpa perire.

Et hæc satis ad refellendum errorem Martini Lutheri, art. 36. & Ioannis Caluini, qui lib. 2. Institutionum, cap. 3. sect. 10. & lib. 3. cap. 24. sect. 15. & 16. impie scripsit, generales salutis promissiones ad eos tantum re ipsa pertinere, qui efficaciter illuminantur, & saluantur. Ex quo apertum est, eum sentire, iis solum, qui salutem assequuntur, dari auxilia sufficientia ad eam assequendam, non aliis.

Vnde

Vnde consequens est, vt sentiat, sine vlla sua culpa eos perire, qui pereunt. Rectè enim dixerit Augustinus lib. de corrept. & gr. cap. 10. & 11. de sufficiente gratiæ auxilio loquens: *Si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam in tali natura facta erat, vt sine adiutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa perissent; adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Et libr. de Natur. & grat. cap. 67. optimè ostendit, neminem sine sua culpa obcæcari errore, aut libidine irretiri, cum possit vtrumque malum cum Dei auxilio vincere, si velit, ac proinde pereat, quia vult. Sic ait: *Rectè enim fortasse quereretur, si erroris, & libidinis nullus victor existeret: cum verò ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiunget, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.*

Occurrunt hîc Semipelagiani, præfatam gratiæ diuisionem ea de causa reprobantes, quòd ex ea videatur sequi, quosdam esse iustos, qui perseverare in accepta gratia non possint; alios, qui non possint non perseverare, ac proinde necessariò, & non liberè perseverarent. Nam si qua est gratia, quæ ad perseverandum requiratur, & sine qua iusti qui-

dam

Augustinus.

Pereunt homines, quia volunt.

IO
Refertur Semipelagianorum obiectio.

dam non perseverant, quia illis non confer-
tur, iam sequitur, non posse illos perseverare,
quod non habeant sufficiens perseve-
rant principium, illam nimirum gratiam,
quæ dicitur ad perseverandum necessaria, ac
subiuncte efficax. Rursum si qua est gratia, qua
posita quidam iusti, quibus confertur, non
solum perseverare possunt, sed etiam re ipsa
perseverant; iam dicitur, non posse non perse-
verare, atque adeo non liberè, sed necessa-
riò perseverare. Ita ferè Semipelagiani, teste
Hilario Arelatensi in Epist. ad Augustinum.

Hilar. Arel.
tom. 7. ante
lib. de præ-
dest. Sanct.

II

Confutatur
Semipelagia-
norum error.

Sed illud objici illis potest, si qui sunt iusti,
qui vel perseverare possint in accepta iustitia
absque speciali auxilio, vel qui ad perseve-
randum nullam gratiam accipiant, cum sine
illa perseverare non possint, necesse est, alte-
rum è duobus fateri; aut nullum esse perse-
verantiæ donum; aut si quod est, carere cul-
pa, qui cadunt, eo quod non accipiant gra-
tiam, cum qua perseverare possunt, & sine
qua non possunt: est autem utrumque divi-
nis testimoniis, Conciliorum decretis, & Pa-
trum assertionibus omnino damnatum.

Concilium
Tridentinū.

Nam ut omittam probationes alias, in
Concilio Tridentino, sess. 6. Can. 22. sic ha-
betur: *Si quis dixerit, iustificatum vel sine spe-
ciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare
posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Qua in
definitione tria sunt; expressè duo, tertium
inuolutè. Primum est, requiri in iustis spe-

cialem

cialem gratiam ad perseuerandum, nec ad id sufficere ipsam eorum iustitiam. Secundum, illam, quæ cuiilibet datur, sufficere, si velit uti. Postremum, non necessariò perseuerare, qui speciale auxilium à Deo accipiunt, sed pro sua libertate posse non perseuerare: hoc enim indicant postrema verba propositi decreti. Ex quo etiam colligitur, in Dei auxilium, quo iusti re ipsa perseuerant, non tollere libertatem, quia non tollit resistendi potestatem, vt in sequentibus latè demonstrandum est.

Quare diuisio gratiæ in sufficientem, & efficacem, Catholica est, & communi Orthodoxorum consensu approbata. Ex Theologis tamen ita nonnulli de efficaci loquuntur, vt timendum sit, ne fortè cum Lutheranis, & Calvinistis non animo quidem, sed sensu conueniant: videntur enim verbo, non re sufficientem admittere; quod in sequenti disputatione ostendam. Aduertendum autem est hoc loco, partitionem illam, qua Doctores aliqui præuenientem gratiam fecant in congruam, & non congruam, nihilo, esse ab hac diuersam, & ab Augustino indicari lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. & alibi, cum efficacem gratiam dicit illam esse, quæ congruenter confertur: de qua re postea.

Cùm igitur ostensum sit, dari gratiam sufficientem, qua homo non conuertitur, quamuis conuerti possit; quæret aliquis, in quo-

Ad perseuerandum gratia est necessaria.

12
Gratia diuisio in sufficientem, & efficacem, communi cōsensu est approbata.

Gratia diuisio in congruam, & non congruam cū superiore diuisione recurrit. Augustin.

13

In quonā po-
sita sit gra-
sufficientia.

Augustinus.

14
Gratia suffi-
cientiam at-
tēdi penes po-
testatem bene
operandi qui-
dam asserunt.

nam posita sit ipsa gratiæ sufficientia. Qui-
dam aiunt, propterea huiusmodi gratiam
sufficientem dici, quia confert homini po-
testatem ad agendum, non confert tamen, ut
agat: quod patet, quia per illam habet ho-
mo, ut possit conuerti; sed non habet, ut re
ipsa conuertatur. Hi possunt ita intelligi, ut
nihil dicatur veritate alienum: sæpe enim sic
loquitur Augustinus nam lib. 1. ad Simpli-
cianum, quæst. 2. *Aliter, inquit, Deus præ-
stat, ut velimus; aliter præstat, quod voluerimus.*
Quibus verbis indicat discrimen inter gra-
tiam sufficientem, & efficacem, quod per il-
lam tantum habeamus posse velle, per hanc
non solum posse, sed etiam velle. Et lib. de
corrupt. & grat. cap. 12. *Aliud, inquit, est
adiutorium, sine quo aliquid non fit; aliud est adiu-
torium, quo aliquid fit: nam sine alimentis non pos-
sumus viuere; nec tamen cum adsuerint alimenta,
eis fit, ut viuatur, qui mori voluerit: ergo adiutorium
alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vi-
uamus.* Eodem modo in loco nunc allegato, &
alii sæpe tradit, datum fuisse Adamo, ut pos-
set perseverare, non tamen ut perseveraret.

Cæterum neque Augustinus negat, gra-
tiam sufficientem dare homini, ut possit bene
operari; sed tantum vult, illam non esse con-
iunctam cum bona operatione: neque au-
diendi sunt, qui dixerint, gratiam non dici
sufficientem comparatione bonæ operatio-
nis, sed tantum comparatione potestatis bene

operandi. Id enim asserere absurdum est. Nam cum potentia dicat ordinem ad actum, intelligi non potest, quod aliqua forma conferat alicui posse bene operari, & non sit sufficiens, ut qui illam habet, bene operetur: ideo namque dicitur homo habere potestatem ad ridendum, quia habet sufficiens principium, per quod eliciat actum risus. *Iterum per gratiam sufficientem datur homini potestas, ut bene agat, si velit: si enim talis potestas non datur, non potest gratia dici sufficiens, quia ut verè sufficiens sit, talis esse debet, ut per eam constituatur homo sufficienter in actu primo ad producendum secundum. Item si gratia sufficiens confert homini potestatem ad bene operandum, non ut bene operetur; sequitur, bonam operationem non esse nobis sub præcepto commendatam; atque adeò data ea gratia non tenemur conuerti, sed posse conuerti; unde rursus sequitur non peccare, qui non conuertitur, aut qui præceptum non implet, quia Deus non iubet impossibilia: Sed iubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis: quemadmodum traditur in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 11.*

Porro bifariam intelligi potest, quod quis habeat benè operandi potestatem: vno modo cum habet in se virtutem, quæ sit proximum & completum operationis principium, quo si velit vti, producet actum: altero cum non ha-

Refellitur eorum opinatio.

Per gratiam sufficientem datur homini potestas, ut bene agat.

Conc. Trid.

15
Habere potestatem benè operandi dupliciter intelligi potest.

bet

bet actu in se talem virtutem, sed potest, si velit, illam obtinere. Priori modo gratia sufficiens constituit hominem potentem ad producendum actum supernaturalem, quia in ratione principij effectiui nihil ei deest, quod ad productionem requiratur. Posteriori, dicitur iustus habere sufficiens auxilium ad perseverandum in gratia, quia licet ad id requiratur nouum gratiæ auxilium, quo interdum caret, habet tamen in sua potestate illud precibus obtinere à Deo, qui nõ prius hominem deserit, quàm ab eo deseratur.

16

Quomodo
intelligendus
Augustinus.

Ut igitur ad Augustinum reuertar, cum locis citatis dicit: *Aliter vocari hominem ut possit consentire: aliter ut non solum possit, sed etiam ut consentiat*; nullo modo credit, gratiam sufficientem non dare homini, cui confertur, ut conuertatur, si velit; nec potentiam separat ab actu, utpote quæ separari non potest, cum ab eo naturam & distinctionem accipiat, nec intelligi queat, quòd detur in aliquo potestas, quin per eam ordinetur ad aliquem actum, cuius talis potestas sit: verùm tantummodo vult indicare duo auxiliorum genera, quorum quædam sufficientia quidem sint ad efficiendum cum libero arbitrio actum contritionis, sed non efficiant, quia humana voluntas renuit; alia non solum efficere conuersionem possint, sed etiam re ipsa efficiant, quia tunc dantur, cum maximè vocatis congruunt, & ita affecti sunt, ut vocationem sequantur.

Vbi

Vbi illud aduertendum est, licet vtraque auxilia sint ex se talia, vt iis vocati respondere possint, si velint, non omnia tamen conferri à Deo absoluta voluntate, vt iis vocati respondeant; si enim Deus absolutè vellet, vt quicumque vocati sunt, vocationi responderent, ita congruenter eos vocaret, vt nemo non audiret. Sed cum *velit omnes saluos fieri,* & ad salutem consequendam sufficientia auxilia suppeditet; non omnes tamen ita vocat, vt absolutè vellet eos saluare; atque adeò nõ omnibus cõfert ea auxilia, quæ videt re ipsa profutura, sed quæ videt prodesse posse, si vocati velint illis cooperari. Et in hoc posita est sufficientis, & efficacis gratiæ differentia, de qua in sequentibus plura.

Sed interim monere oportet non esse à vero alienum, quod doctissimi quidam Theologi affirmant, dum inter vtramque gratiam discrimen statuentes, aiunt illud esse ab effectu sumendum, vt illa videlicet efficax dicatur, cum qua liberum arbitrium pro sua libertate conuertitur, illa tantum sufficiens, quæ actum conuersionis non attingit. Dum enim ita loquuntur, nequaquam asserere volunt, in gratia efficaci ex parte Dei, aut ipsius gratiæ, vt gratia & beneficium est, nihil reperiri, ex quo dicatur efficax in actu primo, siue talis, vt non solum sit productiua consensus, sed etiam infallibiliter illum producat: si quis enim eos rectè legat, & intelligat, comperiet

1. Tim. 2.

In quo posita sit sufficientis, efficacisque gratiæ differentia.

Explicantur Theologi, qui dicunt differentiam ab effectu sumendam.

ipſos Deo tribuere , quòd gratia efficaſ ſit,
quia poterat talem conferre , quam videret
nihil profuturam, quamuis ad conuerſionem
ſufficeret. Verum in ſequentibus diſpu-
tationibus, & horum auctorum
mens, & ipſa rei veritas
euidentiùs appa-
rebit.





DISPUTATIO
SECUNDA.

DE GRATIA EFFI-
caci, & eius distinctione à
non efficaci.



X dictis constat gratiam effica-
cem esse illud diuinæ gratiæ au-
xilium, quo non solum potest
homo conuerti, sed re ipsa con-
uertitur: vnde ab effectu dicitur
efficax, quasi efficiens. Significauit hanc
gratiam Christus Dominus Ioan. 6. nomine
tractionis, cum dixit: *Nemo potest venire ad me,
nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* De eadem
quoque intelligitur illud eiusdem Christi Do-
mini loco proximè citato: *Omne, quod dat mi-
hi Pater, ad me veniet;* vbi idem est, *Omne,* iu-
xta phrasim Scripturæ, atque omnis homo.
Eodem etiam pertinet illud, *Omnis, qui audi-
uit à Patre, & didicit, venit ad me, & alia si-
milia.*

Augustinus variis in locis multipliciter
hanc gratiam nominat. lib. 1. de prædest. Sanct.

¹
Gratia effi-
cax qua fit
& cur ita di-
catur, & vbi
de ea fiat mē-
tio in sacris
Litteris.
Ioan. 6.

²
Quàm mul-
tis nomi-
bus Augusti-

nus hanc gratiam appellet. Augustin.

appellat *Vocationem sine pœnitentia*, quia non pœnitet Deum trahere ad se, quem efficaciter vocavit; sunt enim eius dona sine pœnitentia. Epist. 107. appellat *Vocationem altam, & secretam*, quia alto, & secreto Dei iudicio confertur quibusdam, non omnibus; vnde Epist. 105. ad Sixtum ait: *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum; tamen caueat precipitium.* De corrept. & grat. cap. 7. & alibi appellat *Vocationem secundum propositum*; quia proponit Deus, & absolutè decernit iustificare illos, quos efficaciter vocat. libr. 1. ad Simplic. q. 2. appellat *Vocationem congruam*, id est, quæ libero arbitrio sic congruit, vt consensus sequatur. Has & alias appellationes efficaci gratiæ tribuit Augustinus. Ex quibus valdè celebris est hoc tempore illa, qua gratia dicitur congrua, quo etiam modo nos illam vocabimus.

Vtrum gratia efficax consistat in actuali Dei concursu, aut supernaturalem habitum inuoluat.

P A R S P R I M A.

NON melius intelligi potest quo pacto efficax gratia à non efficaci distinguatur, quam illius natura perspecta: idcirco inuestigandum est, qua in re consistat.

Sed

Sed constet prius, quod ex superioribus factis colligitur, dari specialem quamdam gratiam, quæ occultè à Deo tribuitur, & à nullo duro corde respuitur, ut loquitur August. lib. de prædest. Sanct. capit. 8. de qua gratia est illud Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, quod de spiritu gratiæ specialis intelligendum esse, tradit idem August. de grat. & lib. arbit. ca. 16. dicens Deum præbere voluntati, *Vires efficacissimas ad operandum*, easque significari verbo illo, *Faciam*, quod non tantum denotat potestatem, quia Israëliticus populus in præceptis Dei posset ambulare, sed quæ esset re vera ambulaturus. De hac igitur gratia prius à nobis quærendum est, qua in re constituenda sit, quàm de eius efficacia speciatim differamus. In hac verò parte duæ tantum opiniones referendæ sunt, & confutandæ.

Refertur, & refutatur prima opinio de gratia efficaci.

Prima sententia est, gratiam efficacem, non aliud esse, quàm actuale Dei concursum ad actum conuersionis, quem liberum arbitrium simul cum Deo elicit. Nam is concursus simpliciter gratia est, & omnino requiritur ad prædictum actum conuersionis, siquidem dari nequit, quin Deus intimè in illum influat per influxum pertinètem ad ordinem

Dari gratiã efficacẽ ostenditur.

Augustin.

Ezech. 36.

Augustinus.

4
Prima opinio asserentiã gratiã efficacem esse actuale Dei auxiliũ,

gratiæ: cùm igitur talis influxus gratia sit, nec dici queat sufficiens, quia numquam reperitur, nec reperiri potest seorsim ab actu, erit planè efficax. Confirmatur, quia Deus concurret ad actum conuersionis prius natura, quàm liberum arbitrium, in illa igitur naturæ prioritate sicut intelligitur esse diuina motio, ita intelligitur esse efficax; atqui motio diuina non est aliud in proposito, quàm diuinus concursus; ille igitur est gratia efficax.

5
*Confutatur
præcedens opi-
nio varijs ar-
gumentis.*

Primò.

Hæc opinio falsa est, & facilè refellitur. Primò, quia gratia efficax intelligitur esse per modum principij, quo voluntas sufficienter constituitur in actu primo, & operatur; nam per gratiam efficacem fit voluntas apta ad eliciendum actum supernaturalem; ac proinde naturæ ordine debet gratia præcedere ipsum actum, quem simul cum voluntate efficit: at concursus Dei ad actum voluntatis non constituit voluntatem in actu primo, sed supponit illam iam constitutam, & pertinet ad operationem, non ad principium productiuum operationis: ergo, & cætera.

6
Secundò.

Secundò, quia gratia efficax, cùm sit motio deliberationem præcedens, quam Deus operatur in nobis sine nobis consentientibus, seu liberè operantibus, vt ex dictis apertum est, non pendet à libero arbitrio, vt in homine fiat, quamuis vt effectum habeat, aliquo modo pendeat, quia sine illo non potest consensum

efficere:

efficere: at concursus Dei ad consensum, siue ad actum conuersionis est in potestate voluntatis diuino auxilio excitatæ; nam postquam voluntas sufficienter est à Deo præuenta, ita ex parte eiusdem Dei præparatum habet adiutorium per modum concursus, vt in ipsius potestate sit actu illud habere, & non habere; alioquin consentiendi actus liber non erit. Nec obstat quòd posita motione præuia potest Deus negare suum concursum, & hoc modo impedire liberum actum conuersionis; quoniam hoc de lege non fit, nec de potentia ordinaria: sic enim Deus suum concursum ad actiones causarum secundarum, siue liberè, siue necessariò agentium, offert, vt illis deesse absque miraculo non possit.

Tertiò, quia gratia efficax est causa actus liberi, quo peccator ad Deum conuertitur (siue moralis sit, siue physica, quod in præsentia nihil refert) ac proinde est ad ipsum actum præuia: diuinus verò concursus, si intelligatur esse aliquid in ipso actu, vt plerique intelligunt, ij maximè, quos impugnamus, non potest esse quidpiam ab eodem actu diuersum, nisi vel dependentia ipsius actus à Deo, vel quod eodem vertitur, actus ipse, vt à Deo procedit, quo pacto spectatus præter suam entitatem, vt supra dicebam, nihil vltèrius importat præter modum essendi purum, vel relationem actualis dependentiæ; sed neque modus, neque relatio actualis dependentiæ

7
Tertiò.
Gratia effi-
cax est causa
actus liberi,
quo peccator
ad Deum cõ-
uertitur.

potest dici causa physica; aut moralis actus, neque ipse actus respectu sui vllius causæ rationem habet, vt notum est; ergo nullo modo potest sic accipi Dei concursus ex parte cōsensu liberi, vt respectu eius habere queat rationem causæ, nec subinde gratiæ efficacis.

8
Ultimò.

Rom. 9.
Exod. 33.
Indurare, &
misereri quid
sint.

Gratia effi-
cax misericor-
dia appella-
tur.

Voluntas præ-
paratur per
gratiam effi-
caxem.
Augustin.
Cōc. Arausi.
Prouerb. 8.

Tandem quæ de efficaci gratia ab Augustino dicuntur, non quadrant in liberum cōsensum voluntatis, neque in concursum Dei ad illum. Nam Deus per efficacem gratiam dicitur misereri eorum, quorum miseretur, iuxta illud Pauli ad Roman. 9. ex 33. cap. Exodi: *Miserebor cuius misereor, & rursus, cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Sicut enim indurare formaliter non dicit aliud, quàm negare auxilium efficax, vt plerique Theologi declarant; ita misereri non est aliud, quàm efficax auxilium conferre; vnde gratia efficax rectè appellatur misericordia, quia ex pura gratia, & misericordia datur: & hac etiam de causa conuersio peccatoris dicitur non esse *Volentis, nec currentis, sed miserentis Dei*, quia nisi efficaciter à Deo peccator præueniretur, non conuerteretur.

Præterea voluntas dicitur præparari à Deo per gratiam efficacem, vt est apud August. lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. capite 9. & de prædest. Sanct. cap. 6. quo etiam modo loquitur Concil. Arausic. 2. canon. 4. citans locum Prouerb. cap. 8. iuxta versionem 70. Interpretum, qui vbi in vulgatis bibliis est, *Et*

hauriet salutem à Domino, transtulerunt, & præparatur voluntas à Domino. Præparare verò voluntatem vel potest esse ad gratiam iustificationis, quod fit per bonam liberi arbitrij cooperationem; vel ad ipsam bonam cooperationem, siue ad actum conuersionis, quod fit per gratiam præuenientem, de qua præparatione intelligenda est Concilij definitio. Sed de hac duplici præparatione alio loco dicendum à nobis est.

Accedit, quod August. de grat. & liber. arbitr. cap. 16. gratiam efficacem appellat *Vires efficacissimas*: vis autem non est actus secundus, nec influxus in illum, sed aliquid pertinens ad actum primum, per quod voluntas fiat potens ad operandum. Dicitur etiam gratia efficax ab August. *Vocatio*, & eodem modo alij Patres, & Scholastici doctores loquuntur: quia per gratiam efficacem vocat Deus peccatorem, quem scit vocationi responsurum: at per consensum, & responsionem non dicitur homo à Deo vocari, sed ad vocantem venire; non venit autem peccator, nisi vocatus: necesse igitur est, vt vocatio actum veniendi præcedat.

Ad argumentum oppositum respondeo, concursum Dei cum libero arbitrio ad actum conuersionis eadem ratione dici gratiam posse, qua ipsa conuersio Dei gratia est, quia fit ex gratia, & per auxilium gratiæ præuenientis, per quam Deus cum libero arbitrio concur-

9

Gratia efficaci vis efficacissima dicitur ab Aug.

Gratia efficaci cur vocatio appellatur.

10

Diluitur argumentum à initio propositum.

rit ; at hinc non sequi , efficacem gratiam, in ipso conuersionis actu constituendam esse, sed in principio eius productiuo. Quo verò modo intimus Dei concursus ad actum supernaturalem dicatur auxilium speciale, diximus in secunda parte superioris disputationis post solutionem primi argumenti , nec oportet hic aliquid amplius addere.

Quo pacto Deus concurrat ad actum conuersionis prius natura, quàm liberum arbitrium.

II
Concurratne prius natura Deus, quàm homo ad actum conuersionis, an vice versa, aut uterque simul.

IN confirmatione argumenti occurrit illa dubitatio , vtrum ad actum conuersionis prius natura concurrat Deus , quàm homo, seu liberum eius arbitrium. Quod enim dicendum videatur , Deum prius natura concurrere , ex eo probatur , quia Deus & homo sunt causæ subordinatæ ; non subordinatur autem Deus homini; ergo homo Deo; at causa subordinans prius natura attingit effectum: ergo prius natura concurrat Deus , quàm homo; quod etiam traditur in libro de causis.

Contra verò quòd prius natura concurrat liberum arbitrium , ex eo patet , quia Deus ideo producit consensum voluntatis, quia voluntas se determinat ad illum producendum: nam concursus siue determinatio voluntatis est causa , quare Deus concurrat , qui certè

non

non concurreret, si voluntas nollet consensum elicere.

Tandem quòd Deus & homo simul concurrant, ea ratio ostendit, quia concurrere ad effectum, est dare illi esse per actionem intrinsicè ad ipsum terminatam: at neque Deus prius dat esse consensui voluntatis quàm ipsa voluntas, neque ista prius, quàm Deus, sed vtraque causa simul; ergo vtraque simul concurrunt. Confirmatur tum ex ipsa ratione concursus, in qua inuoluitur quædam simultas; si enim vna causa prius in effectum influit, quàm altera, iam non propriè dicitur concurrere, quia non simul currit. Tum quia sicut causa secunda nihil omninò agit sine prima, ita in actionibus secundæ nihil agit prima sine eadem secunda; ergo nō vna prius, quàm altera, sed ambæ simul natura concurrunt. Tū denique quia nihil entitatis est in actione, vel effectu producto, quod non sit ab vtraque simul causa, aut quod prius fiat ab vna, quàm ab altera; si enim aliqua entitas est in consensu, quæ fiat à Deo prius, quàm voluntas consentiat, sequitur consensum aliquo modo prius esse, quàm sit, quod falsò, & absurdè dicitur.

Hæc quæstio non potest esse de re ipsa, sed de modo loquendi inter eos, qui intelligunt, quid loquantur: sunt enim qui hac in re ita loquuntur, vt credere possis ipsos neque se, neque sua dicta intelligere: quibus ego &

in hac

12

Deus, & voluntas simul concurrunt.

13

*Peropportu-
nū consilium
ex Augusti-
no.*

*Augustinus,
Quid sit
prius natura
concurrere.*

in hac quæstione, quæ exigui momenti est, & aliis grauioribus illud commendarim ex August. lib. 3. contra duas epistolas Pelagian. c. 2. *Ecce quod dicimus, orent, ut aliquando intelligant, non litigent, ut numquam intelligant.* Ut igitur quæstio explicetur, intelligere oportet, quid sit prius naturâ concurrere. Si enim idem est, atque non accipere vim causandi ab alia causa, quæ simul ad effectum concurrat, sed habere virtutem ex se, seu non dependentem ab alia, certum est, Deum prius natura, quàm secunda agentia concurrere ad omnes eorum effectus, tam naturales, quàm supernaturales; quia omnes causæ secundæ habent à prima vires, virtutésque ad operandum, prima verò à se non ab alia. Deinde ea quoque causa, cui alia agendo subordinatur, dicitur prius natura concurrere, quia alia ab ea, non ipsa ab alia dependet. Tandem quò quælibet causa in agendo est superior, & minus dependens, eò prius natura concurrat, quàm quælibet inferior, & magis dependens. Atque hoc modo sumunt prius natura concurrere, qui id tribuunt Deo respectu causarum secundarum.

14

At qui dicunt idem esse prius natura concurrere, atque esse causam, cur alia causa concurrat, rectè dicunt humanam voluntatem in actibus liberis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, prius natura concurrere, quàm Deum, quia propterea Deus concurrat ad hanc, vel illam contradictionis partem, quia ad il-

lam

lam voluntas se determinat; si enim ipsa non agat, quemadmodū potest, neque etiam Deus aget, quippe qui non solus agat, sed cum voluntate simul, & quidē tunc cum ipsa ad agendum se liberē determinat. Hic tamen loquendi modus nec tam proprius, nec tam v̄situs est, & ob hanc causam minū etiam v̄surpandus.


Denique si idem sit prius natura concurrere, atque prius effectum attingere, & prius illi existētiam dare, rectē negatur Deum prius natura concurrere ad effectum v̄llius causæ secundæ, quā ipsa secunda causa. Est enim perspicuum, & consensu Philosophorum receptum, quamuis in aliquo simplici effectu sint plures rationes, quarū vna ad vnā causam, aliæ ad alias referendæ sint, vt iam superius explicauī, tamē ipsam effectus entitatem ab omnibus simul effici, nec aliquam prius illi dare existētiam, quā alias; quasi effectus in aliquo temporis instanti intelligatur habere suum esse ab aliqua causa, & non ab alia simul agente; aut secundum aliquam naturæ prioritatem existat dependenter ab vna causa, non ab alia: hoc enim si admittatur, necessariō dicendum erit dari aliquam causam, quæ actu influat in aliquem effectum, cū tamen effectus intelligatur prius esse, quā ab ea causa actu fiat, & actu dependeat; quæ sunt pugnancia.

Igitur pro varia acceptione illius modi lo-

quendi

15

Deus non prius concurrat ad effectū aliquē, quā causa secunda.



16

*Deus non de-
terminat phy-
sicè hominis
voluntatem.*

17
*Auctoris sen-
tentia.*

quendi affirmandum aut negandum est, Deū ad effectus & actiones secundorum agentium prius concurrere, aut non concurrere, quàm ipsamet agentia. Quacunque tamen ratione dicamus, numquam admittendum est, si Deus prius concurrat ad actiones liberas voluntatis siue naturales, siue supernaturales; physicè quoque voluntatem ad illas determinare: sunt enim ista inter se valdè diuersa, quoniam in prioritate concursus denotatur tantummodo independentia, ac supereminētia causæ primæ, cui cæteræ in agendo subordinantur; at physica determinatio, vt postea probandum est, importat necessitatem antecedentem, cum qua stare nequit actuum libertas.

Quærat aliquis, ex tribus modis loquendi propositis, quisnam magis probandus sit. Respondeo magis mihi probari illum, quo dicimus primam causam prius natura concurrere ad actiones secundarum, quàm ipsas secundas, quoniam hæc loquendi forma ex primæua sua origine, & communi acceptione apud antiquos Philosophos significat excellētiam, & independentiam diuinæ causalitatis. Sed quia recentiores quidam Philosophi, atque etiam Theologi ex schola D. Thomæ hoc loquendi modo abutuntur, & ex prioritate diuini concursus perniciosè inferunt Deū creatas voluntates ad agendum determinare, præsertim in actionibus ad salutem pertinentibus,

bus, easque verbo tantum liberat faciunt, re autem ipsa necessarias, dico videri mihi hoc tempore consultius asserere, causam primam agentem cum secunda, simul natura cum illa concurrere, quia effectus ab utraque simul producitur, nec potest in eo distingui, quid à solo Deo, quid à sola causa secunda proveniat, cum tota eius entitas ab utroque agente simul producat. Et hoc modo loquuntur Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 1. Gabriel in 2. distinct. 1. quæst. 2. art. 2. & multi alij. Erit verò magis approbanda hæc loquendi ratio, si actiuos efficientium causarum concursus non in ipsis causis, sed in effectibus constituamus: quod plerique faciunt, qua in re à veteribus Theologis, ac Philosophis, & ab ipsa fortè veritate recedunt. Concursus enim actiuus efficientis causæ, & eius causandi ratio non videtur esse aliud, quàm principium agendi causæ agentis, quatenus actu dat esse effectui. Vnde grauissimi Theologi dixerunt, causalitatem Dei respectu creaturarum non esse aliud, quàm ipsam diuinam volitionem, seu actum practicum diuinæ voluntatis; & in eo constituerunt rationem concursus generalis, quem propterea affirmarunt esse ex se indifferentem ad omnia effecta agentium creatorum. Sed hæc difficultas alio loco enodanda est. Nunc ad aliam opinionem.

Causa prima simul natura cum secunda concurrat.

Scotus, Gabriel.

Causalitas Dei respectu creaturarum qua sit.

Refer

Refertur, & refutatur alia opinio de gratia efficaci.

18
Opinio asse-
rentium, gra-
tia efficacem
componi ex
motive præ-
uia, & habi-
tu superna-
turali.

Duo sunt de
ratione gra-
tia effici-
acis.

19
Oppugnatur
argumentis
precedens opi-
nio.

Primò.

SECUNDA opinio est, gratiam efficacem esse quid compositum, ex motione præuia, & habitu supernaturali, quo voluntas in ipso conuersionis momento informata efficitur potens, vt conuersionem ipsam attingat: quia licet habitus supernaturalis in genere causæ dispositiue sit actu conuersionis posterior, in genere causæ efficiētis illo est prior.

Ita sentiunt Doctores quidam ex iis, qui adiuuantem gratiam in habitu constituunt, quorum opinionem supra retulimus, & refutauimus. Possunt tamen ad hoc asserendum eo vti argumento, quod de ratione gratiæ efficaci duo sunt: vnum, idque prius, vt voluntatem excitet, inclinētque ad consensum: alterum, & id posterius, vt cum ipsa voluntate consensum efficiat; cum igitur præuia motio excitet, & subsequens habitus ad consensum concurrat in eodem temporis puncto, in quo est, aptè sentire videtur, qui asserit, rationem gratiæ efficaci in vtroque simul consistere.

Hæc etiam opinio falsa est, & multipliciter refellitur. Primò, quia habitus infusus necessariò sequitur gratiam efficacem: nam hæc suapte natura est consensu prior, vt causa est prior effectui; consensus verò absolutè, & simpliciter, ac secundum omnem considerationem est prior habitu, quoniam est dispo-

fitio

sitio ad illum, & intelligi nequit, quod aliqua actio disponat subiectum ad suam causam efficientem, si propriè de dispositione antecedente, & non comitante loquendum sit: ergo etiàm gratia effìcax habitum infusum suapte natura, & ordine originis antecedit. Hoc argumentum in superiore disputatione fusiùs explicavi.

Secundò, quia gratia effìcax intelligitur esse per modum actus, consistitque totaliter in aliqua, vel aliquibus motionibus, quibus voluntas ad agendum, & consentiendum impellitur: quod exprimit Augustinus lib. de grat. & libero arbitr. cap. 5. declarans illud Apostoli: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Et colligitur ex Prospero, lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. & 9. Fulgentio, lib. 1. ad Monimum, cap. 8. Bernardo, in tract. de grat. & libero arbitr. circa finem. Et ex aliis Patribus supra citatis, & postea citandis. Ergo habitus supernaturalis infusus à Deo in instanti conversionis, non includitur in ratione gratiæ effìcax.

Tertiò, quia actus Fidei, Spei, & similes, quibus homo ad iustificationem disponitur, cum primùm ad Fidem accedit, non fiunt ab aliquo habitu, vt docet D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 6. & quæst. 112. art. 2. & indicat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. cum ait, *hominem in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum simul accipere habitus supernaturales,*

Secundò.
Gratia effi-
cax in quo
consistat.

Augustinus.
1. Cor. 15.
Prosper.
aliàs 25. &
26.
Fulgentius.
Bernardus.

20
Tertiò.

D. Thomas.
Concilium
Tridentinũ.

non verò ante peccatorum remissionem ; atque adeò neque ante actum conuersionis , ne in aliqua quidem naturæ prioritate : at conuersio absque gratia efficaci, naturæ saltem ordine præcedente esse non potest , siquidem spectato ordine naturæ prius est hominem efficaci gratia vocari, quàm cõuerti: ergo, &c.

21
Quartò.
Concilium
Tridentinũ.

Quartò , quia homo iustificatus indiget nouo gratiæ auxilio ad perseuerandum , vt definit Concilium Tridentinum sess.6. Can. 22. & hoc auxilium debet esse efficax, vt cum eo perseueret , alioquin non perseuerabit: igitur gratia præueniens simul cum habitu, aut habitibus infusis non constituit rationem gratiæ efficaci. Probat, quia homo iustus habens auxilium efficax perseuerat in accepta iustitia; hoc enim auxilium infallibiliter coniunctum est cum effectu : atqui omnes iusti habent gratiam sufficientem , & habitus supernaturales gratiæ, & reliquarum virtutum, nec tamen idcirco omnes perseuerant : ergo gratia efficax non est aliquid conflatum ex gratia excitante , & habitibus supernaturalibus.

22
Vltimò.
Auxilium
efficax datur
ad eliciendos
bonos actus
naturales.

Denique auxilium efficax datur etiam homini ad eliciendos actus bonos ordinis naturalis, eos præsertim , in quibus est difficultas, ad quos infusi habitus non concurrunt: datur etiam ad resistendum tentationibus, ad quod non est opus vti habitu supernaturali , vt patet : datur præterea , vt hominem excitet,

alliciat,

alliciat, & quodammodo trahat ad consensum; quod habitus non præstat, quia licet simul cum homine faciat actum sui ordinis, cum homo vult illo uti, non facit tamen, ut faciat homo, quod de auxilio gratiæ dici solet. Ergo gratia efficax necessario est aliquid ab habitu distinctum, de qua deinceps investigandum est, quid esse possit.

Utrum gratia efficax sit aliqua qualitas, aut motio ab excitante gratia diuersa.

PARS SECUNDA.

ALia est quorundam opinio existimantium efficacem gratiam ab excitante distinguere, consistereque in certa quadam siue motione, siue qualitate antecedente liberum voluntatis consensum, ad quem ut effectiua eius causa physicè concurrat. Ita recentiores quidam Theologi de Schola D. Thom. & paucissimi alij. At ex his nonnulli aiunt efficacem gratiam esse qualitatem excitanti superadditam, quæ ita voluntatem physicè prædeterminet ad consensum, ut nequeat non consentire, quamuis liberè consentiat. Alij dicunt esse motionem quandam (de genere ne qualitatis, an actionis, non curant, nec oportet curare) inter excitantem gratiam, & consensum, mediam, sine qua consentire nequeat vo-

1
Opinio asserentium gratiam efficacem consistere in motione ab excitante diuersa.

m 69

Medin.
Bañes.
Zumel.
Trigos.

luntas, quamvis non ab illa physicè prædeterminetur. Videri possunt pro his Barthol. de Medin. in 1.2.q.109.art.10. Dominicus Bañes in 1.p.q.14.art.3.ad 1.2.& 3.& q.19.art.8.& q.22.art.4.& q.2.art.3. Zumelius locis citatis, & in 1.2.q.111. Trigofus super 1.p.Sancti Bonaventuræ q.14.ar.6.dubio 2.& quæst. 15.articul.2.

2

*Detur ne ali
quod speciale
auxilium,
quod physicè
determinet
voluntatem.*

De prædeterminatione nihil modò dicam: solùm enim inquirendum est, an præter excitantem gratiam admittere oporteat aliud speciale auxilium, quod physicè causet consensum voluntatis concurrente cum libero arbitrio, ac proinde sit gratia efficax; siue sit aliquis actus vitalis, ad quem hominis voluntas, vel intellectus effectiuè concurrat; siue qualitas à solo Deo infusa; vtro enim modo dicant, nihil nobis videtur ad rem præsentem attinere.

3

*Quæ ratio-
nes suadeant
dandum esse
prædictū au-
xilium.
Prima ratio.*

Concedendum verò esse huiusmodi auxiliū, colligi potest, tum ex subordinatione voluntatis nostræ ad Deum, quatenus est auctor gratiæ; tum ex perfectione actuum supernaturalium; tum ex differentia eorum, qui vocationi respondent, & non respondent. Ex subordinatione quidem, quia licet opus non sit, vt naturalis causa prius à Deo moueatur, quàm exercat actus sibi proportionatos, & connaturales, quoniã ex eo, quòd Deus tamquam auctor naturæ concurrat cum causa naturali ad ipsius actionem, rectè intelligitur

subor

subordinatio, tamen vt concurrat tamquam auctor gratiæ ad actum non proportionatum cum potentia naturali, necesse est, vt illam aptè disponat per aliquam formam, secūdum quam efficiatur eadem potentia eiusdem veluti ordinis cum ipso principali agente in ratione agendi, neque enim rectè cohæret subordinatio inter causas quo ad agendi modum ordinis diuersi.

Dicet aliquis in eo, qui habet supernaturalem habitum, rectè id fieri per talem habitum; cum verò habitus deest, sufficere excitantem gratiam ad efficiendam præfatam subordinationem, siquidem ea gratia est quidpiam supernaturale inhærens homini, illiusque potentiam sufficienter disponens, vt efficiatur eiusdem quodammodo ordinis cum Deo in ratione supernaturaliter agendi. Occurri solet quidquid sit de habitu, excitantem tamen gratiam, quamuis alioquin in ratione auxiliij sufficiens dicatur, non videri tamen sufficientem ad constituendam prædictam subordinationem, quia ad hoc requiritur aliquid per modum formæ quodammodo adæquantis causam inferiorem cum superiori, nõ quidem in entitate, sed in ratione agendi, ad quod non datur gratia excitans, sed adiuuans, quæ propriè dicitur efficax.

Deinde ex perfectione, & excellentia actuum supernaturalium, qui in potentia effectrice requirunt aliquid per modum princi-

4
Obiectio.

Occurritur
obiectioni.

5
Secunda ratio.

m 10

pij productiui, quòd ipsam eleuet ad illos attingendos; ad quod etiam non videtur sufficere gratia excitans, quia non est ordinata ad eleuandam voluntatem, aut intellectum ad productionem huiusmodi actuum, sed tantum ad alliciendam eandem voluntatem, vt velit illos producere. Vnde præter excitans auxilium, videtur danda homini consensuro diuinæ vocationi aliqua forma supernaturalis, per quam eius potentiæ attingere possint actus sibi improportionatos.

6
Tertia ratio. Tandem ex differentia eorum, qui conuertuntur, & non conuertuntur. Neque enim videtur negandum, eos, qui Deo vocanti consentiunt, habere aliquid, quod non habeant rebelles: id verò assignari nequit, neque ex parte naturæ, neque ex parte gratiæ excitantis, siquidem duo, quoad naturalia pares, & equali auxilio excitante à Deo vocati: ita se habere possunt, vt conuertatur vnus, alter in peccato perseueret, vt ad finem huius tractatus ostendendum est: oportet igitur assignari aliquid, in quo gratia efficax constituatur.

Refellitur proposita opinio.

7
Demōstratur falsitas præcedentis opinionis. HÆc opinio nullo modo est admittenda. Et quamuis ex iis, quæ superiori disputatione diximus contra Gregorianam applicationem, abundè refelli possit; hîc tamen demonstrenda est eius falsitas; quod antequam

fiat, eius fundamenta libet destruere.

In primis ad veram subordinationem inter causam primam, & voluntatem creatam in producendis actibus supernaturalibus, tametsi aliqua supernaturalis dispositio esset omnino necessaria, sufficeret tamē absque dubio ipsa motio gratiæ excitantis, quæ diuini ordinis est, & realiter influit, vt diximus, in actum supernaturalem tam voluntatis, quàm intellectus, cùm per fidem disponitur homo ad iustificationem: ergo hac ex parte nullum aliud auxilium supernaturale requiritur, neque vlllo modo probari potest eius necessitas.

Deinde ex præstantia actuum supernaturalium non oportet talem motionem inducere, quia vt humanæ potentiæ sufficienter, & suauiter attingant operationes ordinis diuini, quid requiri potest præter speciale gratiæ auxilium per modum principij, & formæ potentiam eleuantis, & præter Dei concursum operationi intimum? Si enim gratia excitans non sufficit ad hanc potentiæ eleuationem, reddenda erit causa, cur alia motio sufficiat, cùm non possit esse ordinis nobilioris, nec intelligatur habere ex se maiorem connexionem cum actu libero supernaturali, quàm gratia excitans.

Denique ex differentia eorum, qui vocantur, quòd videlicet quidam respondeant, alij non respondeant, non potest colligi vlla necessitas auxilij diuersi à gratia excitante. Vo-

Primò.

Non requiritur motio supernaturalis ad actus supernaturales præter excitãtem gratiam.

8

Secundò.

9

Tertiò. Cur vocati aliij respondeant, alij nõ.

catio enim, quæ est efficax in quibusdam, quia congruè à Deo vocantur, inefficax in alijs, quia oblatam Dei gratiam contemnunt, sufficit ad eam differentiam constituendam; ac proinde non est quærendum aliud auxilium à vocatione diuersum.

Neque ex Scriptura, Concilijs, aut Patribus ostendi potest vllum esse; nam quæ in ijs scripta legimus siue de auxilio efficaci, siue de dono perseverantiæ, siue de quocumque alio speciali Dei adiutorio, nisi de actuali concursu intelligantur, egregiè quadrant in eam gratiam, quæ re ipsa excitans est. Non tamen negamus remotiones occurrentium tentationum, operumque bonorum occasiones, & huius generis alia, quæ Deo specialiter providente contingunt, inter gratiæ dona numerari debere. Sed nos hoc loco de internis tantum auxilijs, non de externis differimus.

10
Qua sequantur incommoda ex prefata opinione.

Gratia efficax à vocatione diuersa non esse demonstratur.

Veniamus ad incommoda, quæ ex proposita sententia sequuntur. Adeò aperta sunt, ut quivis & percipere facile ea possit, & fateri vel inuitus cogatur. Unde mirum sanè est aliquos esse, vel tam cæcos, ut videre ea nequeant, vel tam pertinaces, ut fateri nolint. Sed iam ad rem.

In primis si admittatur aliqua motio, aut qualitas à gratia vocationis re ipsa diuersa, quæ efficax gratia dicenda sit, vel ea ad conversionem peccatoris est omnino necessaria, vel necessaria non est, quia sine illa cum sola

gratia

gratia vocationis potest peccator conuerti. Si dicatur hoc secundum, falsò asseritur gratiam efficacem esse motionem, aut qualitatem re ipsa diuersam à gratia vocationis, siquidem præter hanc nihil requiritur per modum principij, quo conuersionis opus perficiatur. Si detur primum, sequitur alterum è duobus, vel non dari auxilium sufficiens peccatori, Dei gratia præuento, quando non conuertitur, atque adeò non esse illi vitio tribuendum, quòd non conuertatur; vel imputari illi ad culpam, quòd non faciat impossibile: vtrumque verò fidei principiis contrarium est, & à ratione alienum. Nam si quis dicat auxilium diuinum in iis, qui non conuertuntur, non esse ad conuersionem sufficiens, repugnabit in primis Apostolo 1. ad Timoth. 2. dicenti: *Deum velle omnes homines saluos fieri*: quo enim modo velle potest, vt omnes saluentur, si non confert omnibus gratiam, cum qua, si velint, saluari possint? Si talem gratiam non confert omnibus, sicut non possunt omnes saluari, ita neque verè dici potest, velle Deum, vt omnes saluentur. Deinde repugnabit Concilio Trident. sess. 6. cap. 4. & can. 4. aliisque in locis, in quibus sæpius decretum est, *dari peccatoribus auxilia sufficientia, quibus à peccatis queant resurgere, si velint.*

Si quis verò dicat rectè peccatoris vitio tribui, quòd non conuertatur, licet non accipiat à Deo auxiliù ad cõuersionem sufficiens,

I. Timot. 2.

Conc. Trid.

II
Cõtra sentiētes redarguuntur.

in fol

Concilium
Tridentinū.

Augustinus.

*Dogma hære-
ticum est asse-
rere ijs tantū
qui cōuertun-
tur, non vero
alijs dari suf-
ficiens auxi-
lium.*

12

*Quæ respon-
deant opposi-
ta sententia
assertores.*

is in primis aduersabitur eidem Concilio
sess. citata, cap. 11. decernenti: *Deum impossi-
bilia non iubere, sed iubendo monere, & facere quod
possis, & petere quod non possis, & adiuuare ut pos-
sis.* quæ verba desumpta sunt ex August. lib. de
Nat. & grat. cap. 43. Aduersabitur deinde ra-
tioni, quia nemo potest quemquam iure re-
prehendere de iis, quæ non sunt in eius pote-
state; neque meritò queri, quòd non præstet,
quod præstare non potest. Et quidē hæc con-
tra Theologos Catholicos non sunt lentius
persequenda; tenere enim debent, esse dogma
hæreticum, asserere, iis tantum, qui conuer-
tuntur, dari sufficiens auxilium ad conuersio-
nem; cæteris non dari.

Quod verò gratia præueniens, qua quis ad
pœnitentiam vocatur, sed non respondet, non
sit sufficiens per modū principij, si præter il-
lam requiratur alia, ut re ipsa conuertatur,
apertissimum quidem est; nullo enim modo
intelligi potest, quòd aliqua causa sufficiens
sit ad producendum effectum, si nequit illum
re ipsa producere, nisi aliud accedat, quo eius
vis productiua compleatur.

Duplici modo solent oppositæ sententiæ
auctores hanc demonstrationem eludere. Pri-
mò dicunt illud auxilium, quod vocatur suf-
ficiens, dari ad posse tantum, nõ ad velle, hoc
est, non ita per illud disponi voluntatem, ut
conuertatur, sed tantum ut possit cōuerti. Se-
cundò dicunt gratiam vocationis non suffi-

cere

cere solam per se ad peragendam conuersionem absque gratia efficaci; sed in potestate hominis esse hanc habere, si velit, aut non resistat; ideoque vitio eius tribui, si non conuertatur, aut præcepta non impleat.

Verùm ista nugæ sunt, si hæreses non sunt. Primus enim dicendi modus & inuoluit pugnantia, & videtur fidei contrarius. Pugnantia quidem inuoluit, cum statuit illud discrimen inter sufficientiam ad posse & sufficientiam ad velle; nam, vt iam supra argumentabamur, posse hominem conuerti, non est aliud, quàm habere potestatem, vt conuertatur, qui enim habet potentiam completam, & non impeditam respectu alicuius actus, dicitur habere vires ad illum sufficientes; & omnis potentia propriū actum respicit, neque potest intelligi, nisi in ordine ad illum; cum igitur auxilium sufficiens in eo, cui datur, ponat aliquam potentiam, eaque conuersionem respiciat, sequitur vt illud auxilium, quod sufficit ad constituendum hominem potentem conuerti, debeat etiam dici sufficiens, vt conuertatur. Quod ex eo euidentius est, quia gratia sufficiens non ordinatur vltimò ad posse, sed ad velle, datur enim à Deo non tantum, vt homo conuerti possit, sed etiam vt conuertatur; imò non ordinatur propriè ad posse, cum ipsamet sit forma, per quam homo redditur formaliter potens; ordinatur igitur propriè ad velle, tamquam

13
Perstringuntur præfata aduersariorū responsa.

ad

ad effectum, & finem, propter quem datur, & quod inde sequitur, non potest intelligi sufficiens ad posse, quin intelligatur sufficiens ad velle. Quæ omnia possent hic prætermitti, cum superius dicta sint, sed res ipsa exigere videbatur, ut repeterentur.

14
Fidei Catholicae ostenduntur aduersari.

Eundem verò modum fidei Catholicæ aduersari, ex eo perspicuum est, quia si prædictum auxilium non sufficit ad velle, sed tantum ad posse, non tenetur homo velle, sed tantum posse, atque adeò non tenetur conuerti, aut velle præceptum seruare, siquidem ad hæc non habet vires sufficientes. Atqui certum est in fide, Deum præcipere homini ut madata custodiat, ut cõuertatur, &c. ergo, &c.

Secundus modus fidei, rationi, & reuigilare comprobatur.

Primò.

Secundus quoque dicendi modus, & rationi, & fidei repugnat, vtrumque simul, & facile probatur. In primis si præter gratiam diuinæ vocationis necessaria est alia efficax, ut detur actus conuersionis; iam prior illa non potest dici sufficiens, ut manifestum est, & ostensum.

15
Secundò.

Deinde si in potestate hominis est habere gratiam efficacem, ut ea adiutus conuersionis opus peragat, aut aliquod Dei præceptum impleat, quando credere, aut pœnitere oportet; non imputabitur homini, quòd non credat, aut non pœniteat, sed quòd non habeat auxilium efficax, quo eiusmodi actus possit elicere; & in hoc defectu reperietur prius ratio peccati omissionis, quam in defectu actu,

fidei,

fidei, aut pœnitentiæ. Quo pacto multi Theologi cum Dur. in 2. d. 22. Caietan. Conrad. & aliis in 1. 2. q. 76. art. 2. dicunt, cum quis ignorat ea, quæ scire tenetur, prius reperiri rationem peccati in negligentia, qua negligit scire, quam in ipsa ignorantia.

Rursum si in hominis potestate est habere gratiam efficacem, vel id erit, quia potest illam à Deo petere, & obtinere, vel quia potest illam in se producere libera voluntate. Hoc secundum dici nequit, quoniam gratia efficax non est actus liber, sed aliquid, quod Deus facit in homine sine homine liberè operante, ut perspicuè ostensum est. Illud etiam primum est omnino falsum; tum quia sapissimè datur peccatoribus gratia efficax, ipsis nihil penitentibus, neque cogitantibus, cum de repente ad detestationem peccatorum, vel ad dilectionem Dei super omnia quodammodo raptantur, quod in conuersione Pauli Acto. 9. considerari potest. Tum quia oratio, aut qualibet alia voluntaria dispositio, qua homo gratiam efficacem obtinere potest, si velit, vel est actus ordinis naturalis, vel suapte entitate supernaturalis; si primum, non potest esse dispositio sufficiens propter quam infallibiliter detur gratia efficax, quæ diuini ordinis est, & cum hominis conuersione, ac iustificatione certissimè coniungitur. Nam si homo per actum naturalè, & suæ naturæ proportionatum potest se disponere ad obtinendum aliud auxi-

Durandus,
Caietanus,
Conradus.

16

*Tert. d.
Non est in ho-
minis potesta-
te habere gra-
tia efficacem.*

Act. 9.

lium,

m 78

lium, cum quo infallibiliter conuertatur, iam salutis initium erit ex natura, non ex gratia, quod Pelagianum est. Si verò illa dispositio dicatur esse ordinis supernaturalis, ad illam erit necessarium aliud auxilium antecedens, quia nequit homo, nisi ex Spiritus sancti gratia, sufficienter se disponere ad formam supernaturalem, neque item potest orare, aut velle orare sicut ad animæ salutē pertinet, iuxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed Spiritus postulat pro nobis, &c.* Quòd si illa gratia efficax, quæ orationē præcedit, in hominis etiã potestate est, quia illam similiter obtinere per aliam dispositionē potest, abeundum erit in infinitum. Si verò non est in libera hominis voluntate, sed gratis à Deo confertur, idem erit dicendum de gratia efficaci ad conuersionem requisita.

Rom. 8.

17.
Quartò.Concilium
Arausicanũ.
*Multa in ho-
mine bona
fiunt, quæ non
facit homo.*

Apoc. 3.

Tandem nullo modo dici potest, efficacem gratiam, vt gratia est, & ad conuersionem requiritur, esse in hominis potestate, quamuis liberum illi sit eidem gratiæ cooperari. Nam de huiusmodi gratia iutelligendum est, quod ait Arausicanum Concilium 2. can. 20. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; hoc enim maximè dicitur propter illustrationes, & inspirationes diuinas, quibus quidam cõuertuntur, alij in peccatis permanent. Stare ad ostium, & pulsare, Apoc. 3. soli Deo tribuitur, quia id facit in corde hominis, sine libero hominis arbitrio, cuius est audire vocem, & ape-*

rire

rire ianuam, cùm diuina gratia præmotus, & adiutus liberè consentit. Vnde rectè Gennadius de Ecclesiast. dogmat. cap. 21. *Initium, inquit, salutis nostræ Deo miserante habemus, ut acquiescamus saluari inspirationi, nostræ potestatis est.* Quorum multa similia postea afferemus.

Gennad.

Ita patet gratiam efficacem non posse constitui in aliqua motione, vel qualitate ab excitante gratia re ipsa diuersa, quæ ad gratiam sufficientem non pertineat. Nam si quis dicat auxilium efficax esse quidpiam distinctum à gratia excitante, sed tamen includi in ratione gratiæ sufficientis, darique omnibus, qui sufficienter vocantur, neque in hominis esse potestate, sed fieri à Deo in nobis sine nobis consentientibus, is quidem licet quibusdam nihil videatur dicere contra fidem; dicit tamen meo iudicio, & errat. Etenim si tale auxilium datur omnibus, sequitur omnes conuerti, quia ponitur esse efficax, atque adeò habere in omnibus effectum, alioquin si non omnes, quibus datur, conuertuntur, erit efficax, & non efficax, quæ sunt pugnantia: si non datur omnibus, sequitur non conferri omnibus, qui vocantur, auxilium sufficiens, quod est contra fidem, quia Deus neminem ad se vocat per veram pœnitentiam, cui non conferat id, quod est necessarium, vt conuertatur; neque præcipit cuiquam vt supernaturalia mandata obseruet, quin ipsi prabeat, quæ sunt ad obseruationem requisita. Deinde

18

Dari omnibus, qui sufficienter vocantur, auxilium efficax, fides repugnat.

Auxiliū sufficiens datur omnibus.

nihil



nihil potest efficere in homine motio ab excitante auxilio distincta, quod ipsummet auxilium nequeat efficere; potest enim cum voluntate concurrere, ut instrumentum Dei, & ipsam eleuare ad actum supernaturalem, ac proinde habere rationem gratiæ adiuuantis, & cooperantis, ut sufficienter probatum est disputatione superiore, unde petenda sunt cetera, quæ hic inseruire possunt.

Vtrum ea gratia excitans, quæ simul efficax est, suapte vi voluntatem physicè prædeterminet ad consensum.

P A R S T E R T I A.

I **E**X dictis constat gratiam excitantem, cum eiusmodi est, ut ei voluntas consentiat, esse quoque efficacem, & quod ex eo sequitur, illud Dei auxilium, quo quis præmouetur, excitaturque ad pœnitentiam, & quo efficaciter elicit actum contritionis, re ipsa & in genere rei vnum & idem esse. Unde iam grauißima oritur quæstio. An ea gratia excitans, quæ simul cum peccatoris voluntate conuersionem efficit, ita sit ex sua natura efficax, ut voluntatem ad consentiendum prædeterminet.

Quæstio.

Quibus modis accipi possit præfata prædeterminatio.

Dupliciter verò intelligi potest hæc prædeterminatio; vno modo physicè, altero mo-

raliter.

raliter. Rursum vel intelligi potest, quòd ipsa gratia ex sua natura habeat vim determinandi; vel quòd illa ex se hanc vim non habeat, sed id fortiatur ex diuina voluntate. Licet enim rectè percipiamus gratiam non habere ex sua natura talem efficaciam, vt hominis voluntatem ad actus exercitium determinet, ac proinde simpliciter rejici posse, & cassam reddi; cõcipere tamen possumus velle Deum omnipotente sua voluntate eam vim illi communicare, vt efficaciter hominem moueat, eiusque voluntatem determinet ad actum supernaturalem.

Hoc loco solùm est inuestigandũ, vtrum gratia excitans, cui peccator consentit, ita sit per se, & ex se efficax, vt voluntatem physicè prædeterminet. Affirmatiua quæstionis pars his argumentis potest suaderi. Primò, si non habet ex se hanc vim, aut Deus præstat hanc determinationem per aliud gratiæ auxiliũ, quod iam refutauimus, aut expectat nostram determinationem, quod videtur repugnare decreto Concil. Arausic. 2. can. 4. vbi sic habetur, *Si quis vt à peccato purgemur, volũtatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti, Preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Cũ igitur Deus*

Ponuntur argumenta pro parte affirmante.

Primum.

Cõc. Arausic.

Prouerb. 8.
Philip. 2.

non expectet determinationem nostram, ut ex verbis Cōcilij apertum est, sequitur in eius efficaci motione inesse vim determinandi humanam voluntatem.

3
Secundum.

Secundò, posito auxilio efficaci non potest homo non conuerti: ergo illud ex se habet vim determinandi voluntatem ad actum cōuersionis. Aptā videtur consequentia, quia nisi hoc auxilium talem vim ex se habeat, poterit absque dubio repudiari; at non potest, sicut in antecedente positum est, & probatur, tum quia illud dicitur auxilium efficax, *quod à nullo duro corde respuitur*, ut ait August. supra citatus: tum etiam quia ex opposito sequeretur esse efficax, & non efficax: ergo, &c.

Augustinus.

4
Tertium.

Tertiò, diuina motio, & humana voluntas concurrunt in cōuersione hominis tamquam duæ causæ subordinatæ; illa quidem ex parte Dei mouentis, hæc ex parte hominis consentientis: non debet autem motio Dei subordinari voluntati, sed contra voluntas motioni: ergo non debet voluntas motionem determinare; sed motio voluntatem; nam subordinatio in eo videtur consistere, quòd causa subordinans ad exercitium actus determinet subordinatam. Confirmatur, quia voluntatis determinatio in actu cōuersionis non videtur esse aliquid distinctum ab eadem cōuersione; eatenus enim dicitur voluntas determinari ad aliquem actum, quatenus illum efficit: atqui actus cōuersionis est supernatu-

ralis:

ralis: ergo prius intelligitur ad illum concurrere causa supernaturalis, hoc est, gratia excitans, vel Deus per illam, qui iuxta Concil. Arausic. citatum can. 25. in omni opere bono prius incipit, quàm causa naturalis; incipere verò prius non videtur esse aliud, quàm voluntatem determinare: quod etiam indicat Trident. sess. 6. can. 4. cum ait: *Liberum arbitrium motum, & excitatum cooperari Deo vocanti.* Quæ verba innuunt voluntatem humanam per vocationem efficacem determinari ad actum conuersionis.

Quartò, Deus per gratiam excitantem efficit, vt voluntas velit, & faciat, quod Patres & Concilia frequenter asserunt, & sapius in superioribus diximus: non videtur autem aliter id efficere, nisi eam gratiam conferendo, quæ vi sua voluntatem physicè determinet, eamque suauiter trahat ad consensum; quod insinuat Christus Dominus Ioan. 6. aiens, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* tractionis enim nomine apertè significatur gratia efficax, quæ vim habeat determinandi voluntatem, alliciendo illam, & faciendo volentem, vt loquitur August. tract. 26. in Ioan.

Quintò, inter gratiam efficacem, & non efficacem ex parte ipsius gratiæ aliquod discrimen assignandum est; neque tota differentia ex humana voluntate est desumenda, quasi illa gratia sit efficax, cui homo pro suo arbi-

Cōc. Arausi.

Conc. Trid.

⁵
Quartum.

Ioan. 6.

Augustin.

⁶
Quintum.

m 77

1. Cor. 4.

Rom. 9.

1. Cor. 15.

7
Ultimum.

Eesai. 46.

trio vult consentire, illa inefficax, cui non vult consentire; nam ex eo sequeretur *hominem consentientem se ipsum discernere à non consentiente*, cui æquale auxilium datum est, quod repugnat Paulo 1. ad Corinth. 4. Deinde sequeretur eum, qui per fidem, aut pœnitentiam conuertitur ad Deum, conuerti quia vult, atque *adeo volentis & currentis esse*, contra eundem Paulum ad Rom. 9. Item *inustum non gratia Dei, sed voluntate propria esse id, quod est*, contra eundem 1. ad Corinth. 15. sequerentur denique incommoda alia contra fidem, & sanam Patrum doctrinam: ergo oportet ex parte gratiæ differentiam statuere inter efficacem, & non efficacem, quæ non potest esse alia, quam quòd efficax vi sua voluntatem physicè determinet, inefficax non determinet.

Ultimò nisi gratia sit ex se efficax, & vim habeat determinandi voluntatem, poterit corruere æternum Dei consilium, & frustrari æterna illa voluntas, qua statuit, vt Petrus tali auxilio conuerteretur, quod est contra illud Esai. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Confirmatur, quia Deus non solum decreuit voluntate absoluta, & æterna conferre Petro auxilium necessarium ad resurgendum à peccato, sed etiam ipsam Petri conuersionem: sed hæc non potest esse omnino certa, & infallibilis, nisi auxilium ex se efficax sit, & voluntatis Petri physicè determinatiuum, quia nisi suapte natura tale sit,

poterit

poterit illud Petrus rejicere, ac proinde irritabitur diuinum decretum, ergo, &c.

Occurret aliquis propterea non irritandum Dei consilium, quia Deus præuidit consensum Petri futurum, ac proinde sine prædeterminatione eius voluntatis infallibilem esse eius conuersionem. Sed hæc responsio dupliciter oppugnari potest. Primò, quia ex ea sequitur conuersionem Petri non esse certam per ordinem ad prouidentiam, sed ad præscientiam Dei, quod non est dicendum. Secundò, quia cum voluntas Petri sit ex se indifferens ad eliciendum, & non eliciendum consensum, non potest Deus illa cognita, & omnino penetrata certus fieri de illius conuersione, quia semper cognoscitur indifferens, ac proinde non determinandam potius ad hanc, quàm ad illam contradictionis partem. Ex quo fit, ut non aliter potuerit Deus esse certus de Petri conuersione, quàm statuendo illi cõferre auxilium voluntatis prædeterminatiuum.

Quæ ex Augustino proponi possent hoc loco, dicentur postea, cum eius de præsentis quæstione sententiam expendemus. Præmittimus etiam nonnulla alia, quæ ex Scriptura, & Patribus afferri solent, quia nullo modo significant in auxilio efficaci esse ullam vim natiuam ad determinanda hominũ arbitria: quæ enim hoc indicare videntur, aliud planè volunt, ut suo loco dicam; osten-

8

Responsio.

Confutatur præfata responsio.

In auxilio efficaci non est vis aliqua natiua ad determinandã voluntatem.

furus enim sum non idem esse determinare voluntatem, atque ipsam mouere, inclinare, & flectere.

P R O P O N I T V R

VERA SENTENTIA,

& probatur.

9
Efficax gratia voluntatē
physicē non
determinat.
Bellarm.
Nota.

Nunc absolutē statuimus efficacem gratiam non esse talis naturæ, ut voluntatem physicē determinet. Opposita sententia, ut aduertit Robertus Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 12. aut est Caluini, & Lutheranorum error, aut parum ab illo distat. Oppugnanda igitur à nobis est primū rationibus, deinde Patrū testimoniis, postremò Conciliorum auctoritate. Erit autem confutatio aduersæ sententiæ, confirmatio nostræ.

10
Evidens de-
mostratio.
Prædetermi-
natio physica
impedit liber-
tatē agendi.

Prima ratio. Prædeterminatio physica impedit libertatem agendi: atqui de fide est hominem per actus contritionis, dilectionis Dei, & similes, liberē se disponere ad iustificationem; ergo ad eos exercendos non prædeterminatur physicē ab auxilio gratiæ efficaci. Sola propositio indiget probatione; sed ea facilis est, quia concipi non potest, quòd posita vna causa physicē alteram prædeterminante ad aliquem effectum, in potestate prædeterminatæ sit illum producere, & non producere, nisi in eius etiam potestate sit tol-

lere

lere causam prædeterminantem, nam si remouere illam non potest, & tamen ea posita adhuc relinquitur indifferens ad producendum, & non producendum; atque adedò potest non producere, intelligitur simul determinata & non determinata ad exercitium actus, quod repugnat. At enim gratia efficax secundum aliquam naturæ prioritatem antecedit voluntatis consensum, & à libero arbitrio non pendet, quia fit in homine sine homine consentiente, vt ex dictis patet: ergo si habet ex se vim determinandi voluntatem ad exercitium actus, fieri non potest, vt ea posita voluntas non operetur.

Confugiunt hic aliqui ad sensum compositum, & diuisum, aiuntque posita gratiæ prædeterminatione nõ posse voluntatem nõ operari, sed absolutè posse, quia ex se indifferens est ad vtrūlibet. Sed vel isti rem non capiunt, vel certè capitones sunt, qui apertam veritatem volunt occultare, ne à sua sententia discedant. Etenim non posse voluntatem non operari supposita determinatione, vel sua, vel aliena, id præcisè eius libertatem non lædere, protritum est in schola Philosophica, in qua traditum est ab Aristotele, *res, quando sunt, necessario esse, & quando fiunt, necessario fieri*, supposito nimirum quòd sint, & fiant. At ita per gratiam efficacem determinari voluntatem ad exercitium actus, vt in sensu composito, nempe supposito quòd talis gratia in homine

II

Quomodo aliqui prædictæ rationi respondeant.

Fr. Didac Nuñ. Cabezudus in 3. part. D. Tho. *Eluditur responsio de sensu composito & diuiso.* 8. cap. de interpret. Matth. I I.

fit, non possit eadem voluntas non operari, id quidem libertatis vsum tollit; nec aliud concipi potest, quia cum talis gratiæ positio à libero arbitrio non pendeat, illaque ex se, vt dicitur, vim habeat determinandi physicè voluntatem, sicut non est in potestate eiusdem voluntatis, quòd ea gratia non ponatur, aut quòd ipsam non determinet; ita non habet in sua potestate, quòd possit non operari, & ex consequenti necessariò operatur.

12

Nulla gratia excitans ex se vim habet ad determinandam physicè voluntatem.

Gratia excitans quid sit.

Secunda ratio. Gratia efficax non differt re ipsa ab excitante, sed ideò efficax dicitur, quia ei voluntas cooperatur: atqui nulla gratia excitans habet ex se vim prædeterminandi physicè voluntatem: ergo gratia efficax non est ex sua intrinseca natura talis, vt voluntatem physicè determinet. Propositio satis est à nobis in superioribus probata, & sine controuersia recipitur ab iis, contra quos hoc loco disputamus. Cõsequentia quoque euidentis est, quia si nulla gratia excitans habet ex se vim determinandi, neque illa, cui voluntas consentit; quæ proinde efficax est, talem vim habebit. Probo igitur assumptum. Omnis gratia excitans (siue sit efficax, siue non efficax, dummodo sit motio interna, de qua tantum loquimur) vel est illustratio mentis, vel inspiratio voluntatis, vel vtrumque simul, aliud enim esse non potest: sed ex his duobus, neque alterum per se, neque vtrumque simul habet vim ad determinandam voluntatem quo

ad

ad exercitium actus, quemadmodum non habet vim ad illam necessitandam: ergo, &c. Ostenditur hoc assumptum, quia si quid potest illustratio respectu voluntatis, id prouenit ex obiecto; nullum verò est creatum obiectum, quod voluntatem simpliciter determinet, cum hoc sit proprium obiecti beatifici. Inspiratio quoque, tametsi vehementissima, neque ex parte sui obiecti, neque ex sua intrinseca ratione habere potest determinandi vim, cum non sit causa necessaria consensus, nam si talis esset, quæuis inspiratio in specie, & intensiōe similis, quouis tempore, & loco, & in quauis persona, vel semper efficeret consensum, vel numquam illum efficeret, quod esse omnino falsum postea ostendemus.

Tertia ratio. Si auxilium gratiæ præuenientis, cum quo quis conuertitur, ex sua natura tale est, vt habeat vim determinandi voluntatem; sequitur non esse in potestate hominis conuerti, ac proinde inutiles esse, & superuacaneas illas Dei voces, Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Esai. 1. *Si volueritis, & audieritis me, &c.* & alias similes, quæ passim in Litteris sacris audiuntur; item iniustas esse eiusdem Dei querimonias Esai. 5. *Iudicate inter me, & vineam meam.* Ad Roman. 10. ex Esai. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.* &c. Matthæi 11. *Vae tibi Corozain, vae tibi Betsaida.* &c. Prouerbio-

13
Si gratia efficax ex se vim habeat, sequitur non esse in potestate hominis conuerti.
Zachar. 1.
Esai. 1.

Esai. 5.

Matth. 11.

Prouerb. i.

Psal. 57.

rum i. *Quia vocati & renuistis.* cuiusmodi innumeræ sunt in sacra pagina, quibus partim queritur Deus de peccatoribus, partim supplicia illis minatur, quòd vocati non respondeant, sed *obturent aures suas, instar aspidis surda, vt non exaudiant vocem incantantis sapienter.* Probatu verò sequela, quia illud solum auxilium ad conuersionem est sufficiens, quod suapte vi determinare potest voluntatem ad actum consentiendi; nam cum illud tantum sit ex se efficax, & quodcunque aliud, quod voluntatem nequit physicè determinare, non possit esse efficax, vt dicitur, rectè sequitur eum, qui non conuertitur, non habere sufficiens auxilium ad actum conuersionis, atque adeò frustra vocari, & iniuste redargui. Quæ his argumentis quidam respondeant, piget, & pudet dicere. Alia hic prætereo, quibus vtar postea.

14
 Probatu eadem veritas Patrum testimonijs.
 Cytill. Alex.
 Fides nō vi, sed persuasione oritur.

Accedant aliqui Patres, qui de ipsa gratia efficaci videntur expressè loquuti. In primis Cyrillus Alexandrinus libr. 4. in Ioannem, cap. 7. ad illa verba: *Omni, qui audiuit à Patre, & didicit, &c.* ita scribit: *Ubi auditus disciplina, doctrinæque adest, ubi Fides non vi, sed persuasione oritur: patrocinio igitur Dei Patris, quod ex charitate dignis præstatu, non vi Christum fideles agnoscunt. Non enim possumus secundum Ecclesiam, veritatisque dogmata liberam potestatem hominis ullo modo negare. Cum ait, oriri Fidem persuasione, non vi, & fideles non vi Christum*

agnoscere,

agnoscere, egregiè indicat, non prædeterminari hominem vllō Dei auxilio ad amplectendas Fidei veritates, sed liberè ad Christum vocari. Et quamuis de externa vi, externaque suasionē loquatur Cyrillus, maiori ratione idem diceret de internis. Et verò motio prædeterminans, si qua esset, optimè dici posset vis quædam, non cogens, sed necessitans voluntatem.

Clemens Romanus Epist. 3. de mandatis Dei loquens, sic ait: *Nam si hoc esset, ut videntes ea, iam non haberent in potestate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam natura, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam.* Verbum illud, *videntes*, significare videtur piam cogitationem, qua Dei mandata concipiuntur, ut necessaria ad æternam vitam consequendam, eoque modo ad sui observationem animum alliciunt. Si enim talis cogitatio, & quæ illam sequitur, inspiratio, voluntatem ad actum determinaret, inferretur naturæ vis, hoc est, necessitas, & libertatis usus læderetur.

Augustinus de spiritu, & litter. cap. 34. *In omnibus, inquit, misericordia eius præueniet nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Loquitur de gratia præueniente, siue sit efficax, siue non efficax, quam vocat *miseri cordiam, & vocationem Dei*; & fatetur, posse hominem ab ea dissentire, sicut & illi consentire; non posset autem ho-

15
Clemens I.

Augustinus.

Cōsentire vocationi, vel dissentire, hominis est.

mo dissentire, si ab ea physicè prædeterminaretur. Huius generis plurima sunt apud Augustinum, quæ infrà referam.

16
Gennadius.

Gennadius de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. *Manet utique ad querendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas; sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei.* Rectè inspirationem appellauit salutis occasionem, ut ostenderet non inesse ipsi determinandi vim, sed tantum inuitandi, quod est occasionis proprium.

Prosper.
aliàs 26.

Prosper Aquitanus lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. de gratia excitante loquens, post alia à nobis superiùs relata, sic ait: *Que opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur; & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humana.* Si auxilio gratiæ prædeterminaretur voluntas ad consentiendum, soli gratiæ tribueret, quod à multis susciperetur, non etiam hominis arbitrio, quod ab extrinseco, & independente principio determinatum non posset non consentire.

17
Euidentiùs demonstratur eadem veritas ex Concilio Tridentinũ.

Sed euidentiùs demonstratur hæc veritas ex Concilio Tridentino, sess. 6. Can. 4. vbi contra Lutheranos ita decernitur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis*

gratiam

gratiam se disponat, ac praearet, nec posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere: anathema sit. Hæc in illo Canone, eadem dicta fuerant in cap. 5. eiusdem sessionis, ex quibus ita res conficitur. In primis sermonem esse de omni gratia excitante tam sufficiente, quam efficaci, ex eo patet, quia agitur contra Lutheranos, qui gratiæ efficaci tribuunt voluntatis determinationem, & Concilium definit liberum arbitrium non ita moveri, ut nihil omnino agat, aut merè passivè se habeat, sed dissentire posse, si velit, quamvis gratiæ cooperetur, & consentiat. Deinde decreti sensus est, quod supposita illa gratia, qua homo convertitur, non necessariò datur conversio, quia potest liberum arbitrium tali gratiæ dissentire: nam si in sensu composito, hoc est, illa posita, non potest non esse conversio, non rectè dicitur in cap. 5. citato: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest, &c.*

Sentit igitur Concilium, in potestate hominis esse repudiare illam ipsam gratiam, cui cooperando, & consentiendo convertitur. Unde ineptè, & temerè loquuntur, qui dicunt posse hominem abjicere gratiam vocationis in sensu diuiso, hoc est, antequam illam habeat, non tamen in composito, postquam habet. Ineptè quidem, quia non vocatus non di-

citur

In præfato decreto sermonem esse de omni gratia excitante.

Quis sit prædicti decreti sensus.

18

Perstringitur quorundam responsio.

*Gratia nō ha-
bet ex se vim
physicē deter-
minandi vo-
luntatem.*

Soarius.

citur dissentire vocationi; sed is tantum, qui vocatus non respondet. Temerè verò, quia Concilium expressè docet, in homine vocato facultatem esse, qua liberè possit vocationem respuere; alioquin si vocatio nulla est, dicitur homo non vocari, sed non dicitur dissentire, aut nolle respondere: quid enim respondeat, si non vocatur? aut à quo dissentiat, si non est, cum quo sentiat? Cùm igitur ex decreto Concilij gratia excitans, cum qua homo re ipsa conuertitur, eiusmodi sit, vt possit idem homo, si velit, eam respuere non consentiendo, neque cooperando cum illa, euidenter sequitur, eam non habere ex se vim vllam physicè determinandi voluntatem, sed posse esse in homine cum negatione consensus, atque etiam cum positiuo dissensu, quo nolit homo conuerti. Mirum est, quàm absurdè quidam ad hæc respondeant, & quàm sint alieni à mente Concilij, & à vera propositi decreti intelligentia. Ego non puto operæpretium eorum responsa referre, quòd in iis refellendis neque negotij quidquam sit, neque laudis. Qui volet Concilij definitionem fusiùs explicatam videre, legat inter alios Theologos Soarium, lib. 1. de concurs. Dei cum voluntate, cap. 10. num. 5. & lib. 3. de auxiliis, cap. 9. nu. 1. & cap. 12. num. 9.

*

Respon

Respondetur ad opposita argumenta.

AD primum argumentum pro contraria sententia respondeo, non expectare Deum in opere conuersionis voluntates humanas, sed ab eo esse salutis exordium, ab eo peccatorem primò vocari, ab eo moueri, & allici: quod citatum Concilium definit Canone illo 4. in quo sermo est de initio salutis. At postquam Deus hominem sua gratia præuenit, eius quodammodo consensum expectat: quod apertè significant illa Apocalyps. 3. *Sto ad ostium, & pulso.* & Esai. 65. *Tota die expandi manus meas.* & Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuistis,* &c. Itaque non expectat Deus voluntatem nostram, vt per vires naturæ, aut ad gratiam nos præparemus, aut aliquid faciamus, quod sit primi auxiliij meritorium. Pelagianus erit, qui ita senserit; sed tamen expectat, vt vocati, & præuenti consentiamus, quod in nostra potestate cum eius gratia positum sit consentire, aut dissentire, vt ex Tridentino diximus.

Ad secundum respondeo, auxilium efficax secundum se spectatum repudiari posse à libero arbitrio, vt patet ex iis, quæ suprà diximus; non proinde tamen continget, vt re ipsa quis illud repudiet, quoniam voluntati congruit. Sunt enim valde diuersa inter se, repudiari posse, & re ipsa repudiari: illud habet efficax gratia, hoc nunquam habet, quia pro-

pter

19
Ad primum.

Cōc. Arausi.

Apocalyp.
Esai. 65.
Prouerb. 1.

Deus nō expectat voluntatem nostrā, vt præueniamus, sed vt consentiamus.

20
Ad secundum.

Repudiari posse, & repudiari, sunt diuersa.

m 53

pter suam cum voluntate congruitatem, à nullo duro corde respuitur, vt ait Augustinus.

Ad tertium.

*Ad confir-
mationem.*

Ad tertium concedendum est, voluntatem in consentiendo subordinari Deo, aut diuinæ motioni; negandum tamen, ab illa determinari, quoniam non idem est alicui causæ subordinari, & ab eadem in agendo determinari. Ad confirmationem respondeo, in opere conuersionis Deum prius incipere non determinando voluntatem ad conuersionis actum, sed excitante gratia illam præueniendo: quod solum volunt citata Concilia. Quid sit prius natura concurrere, & quo pacto concedi queat, Deum prius natura concurrere, quàm voluntatem creatam, supra explicatum est.

21

Ad quartum.

Ad quartum respondeo, Deum per suam gratiam efficere, vt velimus, & faciamus; itémque operari in nobis velle, & perficere; inclinare quoque, & trahere ad se nostras voluntates, & huiusmodi alia præstare: quoniam sua nos misericordia præuenit, ad salutem vocat, infirmos iuuat, vt vocantem audiamus. Ex quo rectè Auctor libri Hypognost. post alia sic: *Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrii claudicante, præuenit Deum, vt cognoscat, & querat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus; sed præcedit, vt iam dixi, misericordissima gratia sua hominis ignorantis, & nondum se querentis voluntatem liberi arbitrii, vt eum se scire, & querere faciat.* Hæc ille. Ele-

Augustinus.

ganter

ganter quoque Isidorus lib. 2. de Summo bono, cap. 5. *Hominis*, inquit, *meritum superna gratia, non ut veniat, inuenit; sed postquam venerit, facit, atque ad indignam mentem veniens facit in ea meritum, quod remuneret, quæ solum inuenerat, quod puniret.* Eodem spectat doctrina Concilij Arausici II. tradita Can. 17. & 25. Ex quibus omnibus rectè colligitur, *Nullum facere, ut velimus, & faciamus, non determinare tamen voluntates nostras ad volendum, & faciendum; sed tantum inclinare, mouere, alligere, & quodammodo trahere: quæ fieri possunt absque determinatione, & necessitate.*

Ad quintum respondeo, aliquod discrimen assignandum esse inter gratiam efficacem, & sufficientem, non tantum ex parte liberi arbitrij, quod efficaci consentiat, non verò sufficienti; sed ex parte etiam gratiæ consideratæ secundum quandam moralem rationem, siue in genere beneficij, non in genere rei: nam quoad substantiam, & entitatem gratiæ, eadem potest esse sufficiens, & efficax, non tantum respectu diuersorum hominum, quibus eodem tempore dari possunt illustrationes, & inspirationes æquales in specie, & intensiōne, verum etiam respectu eiusdem in diuerso tempore, diuersisque circumstantiis: nam qui in hoc puncto temporis à Deo vocatus non respondet, persistente eadem numero vocatione, & in eadem intensiōne, interdum paulò post respondet vocationi libe-

Isidorus.

Gratia non inuenit meritum, sed facit.

Cōc. Arausi

22

Ad quintum.

Differentia inter sufficientem, & efficacem gratiam.

rè consentiendo, vt ad finem tertiæ disputationis explicatiùs edisseram. Incommoda, quæ in argumento inferuntur, nulla sunt, vt statim ostendam post solutionem vltimi.

²³
Ad vltimū.

Ad quod respondeo, æterna Dei decreta circa homines, & liberas eorum actiones nihil indigere physica gratiæ determinatione, vt omnino firma sint: neque item conuersiones eorum, qui iustificantur, & similes actus liberi, quos voluntates creatæ elicere, & non elicere possunt, per ordinem ad solam Dei præscientiam certi sunt, sed etiam per ordinem ad eius prouidentiam; quia Deus præuidens ab æterno quid in his, aut illis circumstantiis essent homines facturi, si talibus, aut talibus præuenirentur auxiliis, statuit illos hoc, aut illo modo vocare, & iuuare, vt per talia media ordinarentur ad finem, in quo posita est ratio infallibilis prouidentia Dei, quam nihil subterfugit. Qua de re postea copiosius pro instituto præsentis.

Scientia media est admittenda.

Illud verò notandum, licet Deus cognoscat voluntatem humanam esse ex se indifferentem ad actus oppositos, & ad agendum, & non agendum, nihilominus propter eminentiam suæ infinitæ sapientiæ etiam cognoscere, ad quam partem se determinatura sit, non solum absolutè per scientiam visionis, sed etiam conditionatè per scientiam, quam vocant mediam, & necessariò est admittenda in Deo, vt alibi leuiter attingam. Quare ex eo,

quòd

quòd humana voluntas sit de se indifferens ad vtramque partem contradictionis, & talis esse cognoscatur à Deo, non est timendum, ne diuina consilia corruant, vt propterea necessaria sit aliqua physica determinatio; admissa enim media illa scientia, facillimè omnia conciliantur.

Sed adhuc superest difficultas quonam modo fieri possit, vt actus voluntatis infallibiliter sequatur, posita gratia non determinante. Nam si ea posita voluntas non manet determinata; manet igitur indifferens, ac proinde potest agere, & non agere, & quod ex eo sequitur, nō potest esse infallibile, quod aget. Dicendum est rectè ista inter se cohærere, quòd volūtas non determinetur ad agendum, & tamen quòd infallibiliter aget; vt eni in eius actio, cæteroqui libera, sit omnino infallibilis, satis est quòd Deus certò sciat, quibus auxiliis ita moueri queat, vt motioni respondeat: potest enim eam motionem illi præbere, cum qua infallibiliter præsciuit esse operaturam. Et hæc modò satis. Videamus, an

ideò homo conuertatur, quia vult, quod in superiori argumento obiectum est: an verò se discernat, & cætera ibidem tacta, commodiùs dicentur inferiùs.

*

24
*Propōitur
quædam dif-
ficultas.*

Dissoluitur.

m 85

Quo sensu concedi possit hominem conuerti, quia vult.

25
Rom. 9.
Qua rationes videantur par'em negantē confirmare.

Primò.
Nazianz.
Chrysoft.
Theoph.

August. de bono persequer. ca. 6. in fin.

NON esse id concedendum defendunt aliqui. Primò, quia Paulus ad Roman. 9. absolute dixit, *Non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei;* quibus verbis satis indicat Catholicè dici non posse, hominem conuerti, quia vult. Nam si quis ex Nazianz. orat. 31. Chrysoftom. hom. 12. ad Hebræ. Theophyl. ad Rom. 9, & ex aliis dicat illius loci sensum esse, conuersionem hominis non tantum esse ipsius hominis volētis, aut currentis, sed etiam Dei miserentis, quia sola hominis voluntas non sufficit, nisi Dei gratia adiuuetur; rectè occurrit August. in Enchir. capit. 32. & alibi, *si illa expositio bona sit, eadem ratione dici posse non esse Dei miserentis, sed hominis volentis, & currentis, quia nisi voluntas humana diuina gratia respondeat, non erit hominis conuersio.* Ex mente igitur Pauli non videtur dici posse, hominem ad fidem, aut pœnitentiam cōuerti, quia vult, sed quia eius Deus miseretur.

26
Secundò.
I. Cor. 4.

Secundò, idem probant ex illis aliis testimoniis I. ad Corint. 4. *Quis est qui te discernit, si conuerteris, quia vis, discernis ipse te. Item, quid habes quod non accepisti?*

Tertiò.
Cōc. Arausi.

Tertiò ex Concil. Arausic. 2. can. 17. vbi ita legimus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris non per volentis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Quartò

Quartò, ex Augu. lib. de grat. & lib. arbit. ca. 17. ubi inter alia: *Aliter, inquit, præstat, ut velimus, aliter quòd voluerimus, &c. Quòd autem voluerimus, solus præstat. id est, posse benè agere, & semper beatè viuere. Quibus verbis non humana cooperatio, sed gloriatio excluditur, quæ excludi non deberet, si verè dici possent; idèò hominem conuerti, aut bene agere, quia vult.*

In hoc dubio de re ipsa nulla potest esse inter Catholicos contentio, de modo loquendi aliqua esse potest. Si de re agitur, conueniunt omnes actum conuersionis, & alios similes, quibus vel primam gratiam sanctificantem, vel eius incrementum assequimur, liberos esse, & in nostra potestate positos, atq; adèò posse illos à nobis produci, & non produci, & quod inde sequitur idèò produci, quia producere illos volumus, cum speciali Dei excitantis, & adiuuantis auxilio.

Probatùr Patrum testimoniis. Gennad. de Eccles. dogmat. cap. 21. *Initium salutis nostræ, inquit, Deo miserante habemus, ut acquiescamus salutifera inspirationi, nostræ potestatis est.* August. de spiritu & litter. cap. 34. *Consentire autem diuinæ vocationi, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Hieronym. dial. 3. contra Pelagianos: *Vbi misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium, quod in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. & illud, Dei enim vocare est, & nostrum credere: nec statim, si nos non credimus, impossibilis Deus*

Quartò.
Augustin.

27

Contentionē
hanc solum
esse de modo
loquendi in-
ter Catholi-
cos.

Actus quibus
gratiam san-
ctificantē aut
eius incremē-
tum assequi-
mur, liberos es-
se ostenditur.

Primo Patrū
testimoniis.
Gennad.

August.

Hieron.

est, (hoc est infirmus, aut impotens) sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut iusta voluntas premium consequatur. Simili modo loquuntur Clemens Alexand. lib. 2. Strom. pag. 54. Chrysof. homil. 12. ad Hebr. Nazianz. & Theophyl. citati, aliique Patres.

Clem. Alex.
Chrysof.
Nazianz.
Theoph.

28

Deinde ratione.

Est & pro hac parte illa ratio, quia nihil aliud est, hominem conuerti, quia vult, quam elicere actum conuersionis liberè, quia potest illum non elicere; neque enim opus est alia volitione antecedente, qua velit conuerti, qui liberè conuertitur, sicut non opus est aliqua volitione, qua quis velit malè desiderare, cum liberè elicit actum mali desiderij, sed quia liberè se determinat ad malam appetitionem, idcirco rectè & verè dicimus, malè appetere, quia vult; atqui homo liberè conuertitur; conuertitur igitur quia vult.

29

Cautè loquendum in hac materia.

Cautè tamen loquendum est in hac materia, ne quid diuinæ gratiæ subtrahatur, quod sit ipsius proprium, & humanæ voluntati tribuatur, quod ipsi non sit debitum. Cum enim salutis initium à Deo sit, & primum gratiæ auxilium in homine fiat sine homine volente & currente, hoc est consentiente, quoniam Deus illi parat congruam vocationem, qua infallibiliter conuertatur absque vllis ipsius meritis, aut libera voluntate, idè eius conuersio non ipsius voluntati, sed Dei misericordiæ, & bonitati tribuenda est. Vnde August. lib. 83. qq. q. 68. declarans

Augustin.

locum

locum euangelicum de vocatis ad cœnam, sic ait: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venirunt, venire potuissent, nisi vocati.* Itaque neque illi debent sibi tribuere, quod venerunt, quia vocati venerunt; neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venire, erat in libera voluntate, seu potestate. Ecce affirmat venisse liberè, qui venerunt, atque ad eò potuisse non venire; & tamen negat posse sibi tribuere, quod venerint, quia vocati venerunt; non quia venerunt determinati, sed vocati. Vult igitur Augustinus propter gratiam vocationis, quæ à solo Deo est, tribuendam illi esse conuersionem, quæ à libero etiam arbitrio est, quia non conuerteretur, qui conuertitur, nisi à Deo excitaretur, & iuuaretur.

Circa primum Pauli testimonium aliqua est interpretum dissensio. Multi ex Patribus Græcis, & nonnulli ex Latinis, vt Hieronym. Remigius, & alij affirmant ea verba non dici à Paulo ex propria persona, sed ex persona alterius ea sibi objicientis. Alij, vt Nazianz. & Chrysof. supra citati, dicunt illud, *Non*, positum esse pro *non solum*, quasi dicat Apostolus affecutionem salutis non solum esse hominis volentis & currentis, sed etiam Dei misertis. Anastasius lib. qq. in Scripturam quæstione 59. partim cõuenit cum Nazianz. & Chrysof. partim cum Augustino, cuius interpre-

Homo nõ debet sibi tribuere cõuersionem suam, qui tamen conuertitur, liberè cõuertuntur.

30
Expenditur locus Pauli, non est volentis, &c.
Orig. tom. 2.
Chryf. serm. 16.
Theoph.
Hieronym. epist. 150. q. 10. ad Hedib. Remigi. ad Rom. 9. nomine Ambrosij.
Anastaf.
Nazianz.
Chrysof.
Augustin.

284

tatio, ut cæteris aptior est, ita illam vnanimi consensu Theologica schola recepit. Existimat igitur verba esse Pauli vëdicantis Deum ab iniquitate, & iniustitia in eo, quòd non æqualiter aut omnes eligat, aut omnes rejiciat; sed hos eligat, illos relinquat.

Nemo propriis viribus vult, aut currit.

Augustin.

Nec verò sensus est, non esse volentis vel-
le, neque currentis currere; quo enim pacto
verum esse possit, quòd volens non velit, &
currentis non currat? Est autem illud verissi-
mum, & in fide certum, quòd neque qui vult,
propriis viribus velit, neque qui currit, viri-
bus propriis currat, sed ad volendum & cur-
rendum à Deo, eiusque speciali gratia effica-
ces vires accipiat; seu quod idem est, quòd sa-
lutis negotium nemo nisi per gratiam Dei
inchoet, & perficiat. Vnde August. cum in 32.
cap. Enchirid. dixisset, *Si rectè dictum est, Non
volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id vo-
luntas hominis sola non implet; cur non è contra-
rio rectè dicitur, Non miserentis est Dei, sed vo-
lentis est hominis, quia id misericordia Dei non
implet? quod nullus Christianus dicere audebit;*
Subiunxit, *Restat ut propterea rectè dictum in-
telligatur, Non volentis, neque currentis, sed mise-
rentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis
voluntatem bonam è preparat adiuuandam, &
adiuuat preparatam.* & post alia. *Nolentem præ-
uenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra
velit.*

31

Sunt hæc quidem Catholicè dicta, sed à

mente

mente Pauli forsan aliena; neque enim eo ca. 9. docere vult, quid ex se valeat homo (nam id in cap. 7. & 8. declarauit) sed hoc tantum agit, vt ostendat nihil hominem facere posse, quo Deum obliget, vt ipsum eligat, prædestinet, & gratia sua ad rectè viuendum præueniat; ac proinde totum negotium diuinæ electionis, prædestinationis, vocationis, tribuendum esse diuinæ bonitati, non meritis nostris. Si quis rectè verba Apostoli perpendat, & exemplum duorum fratrum Iacob, & Esau, itémque illud Dei ad Mosem, *Miserebor, cuius misereor*, (ita legitur in correctis Bibliis) & *miseriordiam præstabo, cui miserebor*, cæteraque in illo capite contenta, planè fatebitur non esse in illis verbis sermonem de actibus liberis, quibus homo ad gratiam iustificationis disponitur, quamuis suo modo possint illis accommodari, & à plerisque Scholasticis accommodentur.

De cæteris Pauli testimoniis postea dicam. Quod ex Concil. Arausicano affertur, duobus modis potest rectè intelligi; primò, propter gratiam vocationis, quia nemo ad Christum venire potest, & Spiritus sancti gratiam recipere, nisi à Deo vocetur: secundò, propter gratiæ sanctificantis infusionem, quam de condigno nemo meretur, quamuis ad illam proximè disponatur. Vtrumque indicant verba in eodem canone sequentia, *Nullis meritis gratiam præuenientibus*. Neque enim gratia

Germanus
sensus Pauli
traditur ab
Auctore.

32
Cōc. Arausi.
Exponitur
locus Conci-
lij.

m 88

Quomodo accipiendus August. in praulegatis locis.

vocationis datur propter merita aliqua antecedentia, neque etiam gratia iustificationis.

Verba Augustini pro aduersa parte relata nullo modo significant, dici non posse, idem hominem conuerti, quia vult; nam ibi expressè dicit, *Vt velimus enim, & suum esse vult, & nostrum.* Vnde sicut egregie dicimus conuerti hominem, quia Deus vult, dando illi gratiam congruam, sine qua non conuerteretur; sic etiam in sensu Catholico dicere possumus, homo conuertitur, quia diuina gratia vult cooperari, cui, si velit, non cooperabitur.

33

Difficultas est in illis aliis verbis, quæ addit, *Quod autem voluerimus, solus præstat.* Videtur enim significare voluntatis consensum soli Deo esse tribuendum: verum non ita est, nam potest optimè intelligi de gratia præueniente, per quam solus Deus præstat, ut rectè operemur, quamuis ipsa recta operatio & ab illo sit per gratiam, & à nobis per liberum arbitrium gratia excitatum, & adiutum. Accedit quòd verbum, *Voluerimus*, non præteriti temporis est, sed futuri, cuius prima persona est, *voluero*; vnde sensus est, id, quod quisque in futurum est voliturus, solus Deus præstat præparando voluntatem per gratiam præuenientem, quæ homini confert potestatem ad bene agendum, & beatè viuendum, ut statim Augustin. explicat verbis sequentibus.

Vtrum.

Utrum Deus per actualem concursum, aut modo alio voluntates nostras physicè determinet in actu conuersionis.

PARS QUARTA.

ET si gratia excitans non est ex natura sua efficax, nec subinde vim habet prædeterminandi physicè humanas voluntates, adhuc tamen intelligere possumus vno è tribus modis posse Deum efficere hanc prædeterminationem. Primò, per actualem concursum, quo simul cum libero arbitrio efficit actum conuersionis realiter in illum influendo. Secundo, per gratiam excitantem, vel per aliud animo inhærens, tamquam per instrumentum, cui eam peregrinam determinandi virtutem communicet. Tertiò, per suam absolutam voluntatem absque medio instrumento. Percurrendi sunt hi tres modi, & refutandi.

Proponitur primus modus de concursu actuali, & refutatur.

Actualis concursus spectari potest vel in sua causa, & radice, hoc est, in voluntate, & potentia executiua Dei, siue in actu practico diuinæ voluntatis, de quo supra in hac secunda disput. parte prima; vel formaliter in se ex communi recentiorum acceptio-

¹
Recensentur tres modi, quibus Deus physicè prædeterminare voluntatem intelligitur.

²
Dupliciter spectari potest actualis concursus.

ne,

Quomodo
hic accipia-
tur.

ne, quatenus est idem cum ipso actu, ad quem Deus concurrit. Prior modus reducitur ad absolutam Dei voluntatem, de qua infra. De posteriori nunc sermo est. Aduertendum verò, concursum hac ratione sumptum dici plerunque influxum, & duo hæc vocabula idem in hac materia significare; vnde & nos indifferenter de vtroque loquemur.

Et quidem quonam pacto Deus influendo in actum voluntatis, physicè illam determinet, aptè videtur intelligi, considerata ratione concurrenti primæ causæ, præsertim ad opera supernaturalia, ad quæ voluntas creata nullam suapte natura habet proportionem. Cùm enim Deus sit, non solum primum & principale, sed etiam particulare agens in his operibus, voluntas autem non modò causa secunda, verùm etiam quodam modo instrumentalis, ita Deus ad huiusmodi opera concurret, vt prius natura intelligatur applicare voluntatem, illamque determinare ad producendos actus, quos propter defectum, improprietatem, & indifferentiam suam attingere non posset, nisi à Deo simul & eleuata, & determinata.

³
Lib. de caus. *Qua videatur predictum dicendi modum confirmare.*
Stabiliri potest hic dicendi modus, primò ex lib. de causis propositione 16. in qua dicitur *virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum*; quod non aliter verum erit, nisi quia diuina virtus cum agentibus creatis concurrens, ad illas præsertim operationes, quæ sunt

supra

supra eorum capacitatem, ea applicat, & determinat ad tales operationes. Secundò, quia nisi Deus voluntatem creatam physicè determinet ad actum supernaturalem, concurrendo cum illa, dicendum erit Deum determinari ab illa; quod falsum est, tum quia semper causa determinans est nobilior determinata: tum quia fieri nequit, ut causa quæ non habet in sua naturali, & actiua potestate aliquè effectum, determinet aliam ad illius productionem; constat verò actum supernaturale non cõtineri in naturali voluntatis actiuitate.

Possem hoc loco huiusce sententiæ refutationè præterire, cum ex iis, quæ dicta sunt, planè constet, illam esse falsam, & omnino impossibilem, si spectetur eo modo, quo solet explicari. Nam Dei concursus volitioni intimus, nihil est aliud, quàm eadem volitio, quatenus pendet à Deo; nec potest concipi esse in actu, nisi quatenus in ipsam quoq; influit voluntas; siquidem non alia ratione dicitur Deus concurrere cum causa secunda ad aliquem eius effectum, nisi quia causa ipsa concurrat; non quòd Deus ab ipsa causa secunda vim operandi accipiat, sed quia non concurreret Deus, nisi secunda causa concurreret: qua de re satis supra.

Præterea actio non potest prædeterminare agens ad agendum: id enim quod aliud prædeterminat, naturæ saltem prioritate, debet antecedere non solum rem prædetermina-

tam,

⁴
*Refellitur
præcedēs opi-
natio.*

⁵
*Actio nequit
prædetermi-
nare agēs a
agendum.*



m 90

tam, sed ipsam quoque eius actionem, ut perspectis terminis facile intelligitur, & ex eo patet, quia particula *pre*, in hac materia inuoluit rationem prioritatis in genere causae efficientis: at quis dicat ipsam actionem, ut est à Deo, esse priorem, aut seipsa, aut ipsa causa secunda, à qua procedit? Nam esse à Deo, vel est purus respectus, vel aliquis modus se habendi ipsius actionis; utrumque verò intelligitur esse, aut simul cum illa, aut posterius illa. Quare nisi hæc prædeterminatio resoluitur ad Deum concurrentem, quatenus sua absoluta voluntate humanam applicat, & determinat ad cooperandum, in ipso actuali concursu non potest vlla ratione intelligi.

6

*Quomodo
intelligendū
id, quod allatum
est ex
libro de cau-
sis.*

D.Tho.

Concedimus igitur Deum in actibus supernaturalibus esse causam primam, principalem, & particularem, ut iam supra explicatum est; negamus suo concursu voluntatem physicè prædeterminare. Quod affertur ex libro de causis variè ab auctoribus explicatur; placet expositio D. Thomæ libro 3. contra gent. capite 70. ubi ait *idem esse causam secundam agere per virtutem primæ, atque per virtutem ab illa participatam, & dependentem ab illa.* Quem sensum habent similes aliæ eiusdem libri propositiones.

7

*Occurritur
ultima obie-
ctioni.*

Illud etiam, quod posteriori loco obiectum est, nullam habet difficultatem. Omissis verò aliis solutionibus, simpliciter dicimus in actione libera quoad efficientiam, neque

secundam

secundam causam determinari à prima, neque à secunda primam, sed vtramque determinare se ipsam. In eodem enim momento temporis, quo actus liber ab humana simul, & diuina voluntate procedit, prius natura, quàm vtraque in actum influat, ad agendum, & non agendum indifferens est: in secundo signo iam vtraque se determinat, in actum influendo, quia in genere efficientis non aliud est causam ad agendum determinari, quàm producere actionem: nam actio ipsa idem est, quod formalis determinatio, propter quam in sensu formali rectè dixeris voluntatem volendo se ipsam determinare ad volitionem, & nolendo ad nolitionem. Cur verò actus sit huius potius speciei, quàm illius, & cur hoc numero indiuiduum, non aliud numero, quæstiones sunt philosophicæ, quæ huc non spectant. Valdè enim inter se differant determinatio quoad speciem, aut singularitatem, & quoad exercitium actus.

Proponitur secundus modus, & refutatur.

Alius modus physicæ prædeterminationis potest esse per gratiam excitantem, vel per aliam formam voluntati inhærentem, quæ licet ex se non habeat vim determinandi, illam tamen à Deo accipiat. Quamuis enim neque auxilium præueniens, nec forma

Quid sit causam efficientem determinari ad agendum.

8
Secundus prædeterminationis modus per gratiam excitantem, vel aliam formam.

m 91

alia possit suapte vi humanam voluntatem hoc modo determinare; rectè tamen intelligimus posse Deum illa vti ad causandam huiusmodi determinationem, quemadmodum vti potest aliqua re creata ad causandum effectum, quem per se, & ex propria facultate nequeat producere.

*Qua videatur
facere pro
prædicto mo-
do.*

Ioan. 6.

Cùm igitur hic modus sit possibilis, potest etiam probabilis videri propter quædam Scripturæ testimonia iam supra à nobis relata, quibus videtur indicari eos, qui conuertuntur, ita à Deo moueri, vt ad consensum prædeterminentur. Ex hoc genere præcipuè est illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* In verbo, *trahere*, videtur inesse quædam vis determinandi voluntatem, & ita illam ad Christum pertrahendi, vt resistere non possit. Mitto cætera, & que possent afferri ex Patribus, de quibus postea.

⁹
*Refellitur
præcedens opi-
natio.*

*Prædetermi-
natio est ne-
cessitas in
agendo.*

Verum hæc etiam opinio falsa est, quia nihil potest concipi voluntati inhærens, illamque physicè prædeterminans, quod eius libertatem non lædat. Nam forma physicè prædeterminans potètiã ad exercitium actus, siue id habeat ex sua natura, siue ex absoluta voluntate Dei vtentis huiusmodi forma, tamquam instrumèto, sic intelligitur afficere potètiã, vt ea posita, naturali quadam necessitate actio à potètiã emanet, siquidem istiusmodi prædeterminatio idè prorsus est, quod necessitas in agendo; neque potest concipi,

quòd

quòd aliqua causa determinata sit ad exercitium actus, siue id habeat ex se, siue ex aliquo principio coniuncto, quin simul concipiatur habere agendi necessitatem.

Quare si efficax auxilium, quod Deus homini ad conuersionem confert, tale est, vt non subijciatur libero vsui voluntatis, sed illam potius sibi subijciat; fieri certè non potest, vt voluntas in agendo inuoluerens, & libera sit. Neque ad hoc quidquam refert, quòd auxilium non à seipso, sed à Deo hanc prædeterminandi vim habeat.

Proponitur tertius modus, & refutatur.

Restat dicendum de absoluta, & extrinseca Dei voluntate. Constat, Deum propter suam omnipotentiam ita in creatas voluntates dominari, vt eas absque vlla resistantia flectere possit, quam in partem voluerit. Hoc significant illæ sacræ paginæ locutiones Genes. 43. *Deus autem meus faciat illum placabilem.* Hester 15. *Conueritq; Deus spiritum Regis in mansuetudinem.* Iob. 12. *Qui immutat cor Principum.* Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit, inclinabit illud.* Hierem. 10. *Non est in homine via eius, & à Domino gressus hominis diriguntur.* Huius generis multa sunt, quorum non pauca refert Augustinus lib. de grat. & liber. arbitr. præsertim cap. 20. vbi loquens de fuga Israëlitarum, de quibus Iosue 7. dicitur: *Non potuerunt filij Israel sub-*

10
Tertius modus est per absolutam, & extrinsecam Dei voluntatem.

Genes. 43.

Hester 15.
Iob. 12.

Prouerb. 21.
Hierem. 10.

Augustinus.

Iosue 7.

m 92.

sistere à facie inimicorum suorum: Quid est, ait Augustinus, non potuerunt subsistere? Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant, nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult, in formidinem conuertit iratus? Et 21. eiusdem li. vi: Quis, inquit, non ista iudicia diuina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quidquid vult?

II
*Confirmatur
 predictus mo-
 dus ex ratio-
 ne perfectis-
 simi domini.*

*Quæ videã-
 tur ostendere
 mul. os non
 conuerti ex
 defectu diui-
 na prædeter-
 minationis.
 Eccles. 7.
 Psalm. 80.
 Esai. 57.*

Augustinus.

Cum igitur ex ratione perfectissimi domini, quod Deus habet in omnes res creatas, satis perspicuum sit, posse illum voluntates hominum sic mouere, applicarèque ad agendum, vt imperio suo, & absoluta potestate ipsas determinet. Ex adductis Scripturæ testimoniis, aliisque similibus constare videtur, hominem in actibus supernaturalibus, quibus ad iustificationis gratiam disponitur, à Deo quidem prædeterminari, atque ex defectu huius prædeterminationis effici, vt multi non conuertantur, sed in peccata labantur. Quod non obscure indicant illa ex Eccles. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit. Et Psalm. 80. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Et Esai. 57. Percussi eum, & auerti faciem meam, & abiit vagus in viis cordis sui.* Et huiusmodi alia, propter quæ Augustinus de grat. & liber. arbitr. cap. 20. citato dixit: *Scriptura diuina, si diligenter inspiciatur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse Deus facit ex*

malis,

malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in eternam dirigit vitam: verum etiam illas, quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam in ierendas, sicut ipse iudicat occultissimo quidē iudicio, sed sine dubitatione iustissimo.

At hoc ipsum argumentis probatur. Primò, Deus efficit, vt hominis voluntas velit, & faciat: ipse enim est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate, vt ait Paulus: sed hoc præstare non potest, nisi voluntatem sic ad volendum, & faciendum applicet, vt eam ad actus exercitium prædeterminet: ergo non videtur neganda hæc prædeterminatio. Propositio manifesta est. Probatur assumptio, quia inter omnia voluntatis obiecta solus Deus clarè visus ipsam determinat ad amorem, & gaudium concipiendum, quoniam solus ipse ita cognitus sic eam applicat ad agendum, vt faciat illam velle, hoc est, amare, & gaudere: cùm igitur in operibus piis ita quoque illam ad operandum applicet, vt faciat illam velle, hoc est, vocationi consentire, necesse est fateri, quòd illam prædeterminet.

Secundò, si voluntas seipsam ad supernaturales actus determinat, iam discretio iustorum ab impiis, & diuersitas graduum inter iustos, & prætereà ratio, quare conuertatur vnus, non alter, aliàque huius generis ad arbitrij libertatem, non ad Deum erunt referenda.

12

Quæ rationes diuinā prædeterminationem videantur suadere.

Prima. Philipp. 2.

13

Secunda.

m 93

quin etiam poterit quilibet suam sibi conuersionem tribuere, & de bonis operibus verè, & licitè gloriari: at hæc omnia Dei opera sunt, illique tantùm tribui debent, vt ex multis Scripturæ locis patet: ergo, &c.

14
Tertia.

Ioann. 10.

2. Timot. 2.

Roman. 9.

Ephes. 1.

Tertiò, nisi Deus voluntates electorum ad opera iustificationis determinet, sequitur, prædestinationem esse fallibilem, cassamque reddi posse, atque à bono vsu liberi arbitrij pendere; quæ duo si quis asserere audeat, Fidei aduersabitur. Nam de certitudine prædestinationis dicitur Ioann. 10. *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Et 2. ad Timot. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouit Dominus qui sunt eius.* De independetia à bono vsu liberi arbitrij dicitur ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, &c.* Item; *Cui vult, miseretur; quem vult, indurat.* Et Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis sue, &c.* Vtrumque verò sequi ex eo, quòd non Deus voluntatem, sed ipsamet voluntas arbitrio suo se determinet, planum est, quia poterit non determinare, & conuersionis actum non elicere; quod si faciat, prædestinatio non sortietur effectum, vnde in vtramque partem ex libero voluntatis vsu videtur pendere. Confirmatur, quia nisi concedamus, Deum prædeterminare voluntatem prædestinati, saltem quoad vltimos actus, cum possit contingere, vt qui in lethali

culpa

culpa est, pro sua libertate conuerti nolit, opus erit, vt vel prædestinatio effectu careat, vel Deus cogatur prorogare prædestinato vitam, donec pœnitentiam agat: quod asserere absurdum est, & diuinis decretis repugnans.

Quartò, Deus æterno decreto prædefiniuit supernaturales actus, qui fiunt in tempore à creatis voluntatibus: ergo ad eos producidos in tempore illas prædeterminat. Antecedens traditur à multis Scholasticis; & consentire videntur Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 10. Prosper respons. 15. & sent. 15. Anselmus cap. 2. de concord. prædest. & liber. arbitr. & alij Patres: haberi quoque videtur ex illo Esai. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Et ex illo Pauli ad Ephes. 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ preparauit Deus, vt in eis ambulemus, &c.* Consequentia videtur nota, quia nisi Deus in tempore voluntates creatas prædeterminet, quoad eos actus, quos ex æternitate prædefiniuit, contingere poterit, vt cassâ reddatur prædefinitio, quod est impossibile.

Quintò, & vltimò. Prædeterminatio physica non impedit vsum libertatis, vt patet in Christo Domino, cuius opera fuerunt meritoria, atque ad eò libera: quòd verò fuerint etiam ex æternitate à Deo prædefinita, & in tempore prædeterminata, significari videtur illis verbis Ioan. 4. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam opus eius.* Et de

15

Quarta.

Augustinus.
Prosper.

Anselmus.

Esai. 14.

Ephes. 2.

16

Quinta.
Christi opera
fuerunt præ-
definita.

Ioann. 4.

Luc. 22.

Actor. 2.

Leo.

morte exprimitur Luc. 22. *Et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadi.* Et Act. 2. *Hunc definito consilio, & prescientia Dei traditum, &c.* Quò respiciens Leo Magnus Serm. 7. de Passione: *Neque vlla, inquit, poterat ratione turbari, quod ante aeterna secula, & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter praefinitum.* Cùm igitur actus supernaturales creatarum voluntatum possint esse praedeterminati in tempore à Deo, & nihilominus liberi, non videtur negandum, re ipsa praedeterminari.

17

Bernardus.

Augustinus.

Deus cur omnipotens.

D. Thomas.

Addere ad hæc possumus Bernardum in tract. de grat. & liber. arbitr. ad finem, vbi dicit, Deum esse auctorem meriti, *Qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.* Et illud Augustini in Enchiridio, de Deo loquentis: *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest: nec voluntate cuiuspiam creature voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Fauet D. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. dicens, potentiam, quæ interdum agit, interdum non agit, indigere aliquo mouente, & determinante ipsam, quoad exercitium, quod in productione actuum supernaturalium potiori iure dici debet.

18

*In actibus liberis non praedeterminari voluntatem**Proponitur, & stabilitur vera sententia.*

STatuendum est, in actibus liberis, siue naturalibus, siue supernaturalibus, non praedeterminari voluntatem creatam ab extrinseca Dei voluntate. Probat, quia vel huius-

modi

modi prædeterminatio est necessaria voluntati ad eliciendos solos actus supernaturales, vel etiam ad naturales, siue bonos, siue malos; vel ad neutros quidem necessaria est, sed tantum utilis, & congrua: ideoque in productione supernaturalium admittitur, ut accommodatiùs, & congruentiùs ad suam naturam eliciantur. In primis non est dicendum, requiri in productione actuum naturalium tam malorum, quàm bonorum; id enim asserere impium est, quia non potest Deus voluntatem creatam imperio suo prædeterminare, & impellere ad actum peccati, quin sit verè auctor, & propria eius causa, ut alio loco ex instituto probari solet. Quòd si voluntas non prædeterminata à Deo prodire potest in actum malum, poterit etiam in actum bonum ordinis naturalis, nisi propter aliquam difficultatem opus sit speciali Dei auxilio, quod ad aliam pertinet quæstionem: nam quæ ratio est, cur naturalis facultas voluntatis humanæ attingere possit vnum actum sui ordinis, siue sit moraliter malus, siue bonus; eadem est, ut possit attingere reliquos sibi quoad naturam proportionatos, sublata aliunde difficultate. Nec oportet in hoc probando immorari, quia inter Catholicos nemo est, qui dicat, voluntatem creatam ad operandum indigere prædeterminatione physica ex imperio absoluto, & extrinseca Dei voluntate.

creatā ab extrinseca Dei voluntate ostenditur.

Non requiritur prædeterminatio diuina ad actus naturales, siue bonos, siue malos.

19
*Deinde nec
 ad actus su-
 pernaturales.*

*Quo pacto
 possit Deus
 voluntati crea-
 ta necessita-
 tem inferre.*

*Duobus tan-
 tum modis po-
 test voluntas
 necessitari.*

Deinde non requiri hunc modum prædeterminationis ad actiones supernaturales iisdem rationibus probatur, quibus supra ostensum est, ex physica prædeterminatione per gratiam excitantem, aut per aliquid aliud voluntati inhærens, tolli de medio auxilium sufficiens; nec esse in potestate peccatoris conuerti, quando non conuertitur; neque in potestate iusti implere præceptum supernaturale, quando non implet; item libertatis vsum impediri; opus conuersionis non esse studiosum, & laudabile; & sexcenta generis eiusdem, quæ cum ratione, & fide pugnant. Illud etiam ad cætera addi potest, quod ex communi Philosophorum, & Theologorum sententia constat, posse Deum voluntati creatæ necessitatem inferre, atque eo modo illam applicare ad actum volendi, aut nolendi, vt prorsus velit, aut nolit: at hoc non aliter facere potest, quàm illam prædeterminando ad actum, vel immediatè per se, vel per aliquam formam eidem voluntati impressam, qua vtatur tanquam instrumento, vt manifestum est. Si enim Deus aliter potest voluntatem ad aliquem actum necessitare, quàm per physicam prædeterminationem, ostendant aduersarij modum; si non potest aliter, vt re vera non potest, fateantur ingenuè, non posse stare libertatis vsum in actibus producendis cum physica prædeterminatione. Si quis enim rectè aduertat, duobus tantum modis de-

prehendet

prehendet posse voluntatem necessitari: vno, quando proposito sufficienter obiecto ex vi illius, & ex intrinseca voluntatis inclinatione oritur necessitas talis actus, quo pacto beatus necessariò Deum amat, eoque fruitur: altero, quando voluntas ita applicatur, & determinatur ad agendum, vt nequeat resistere, neque actú suspendere: quo alio modo queat inferri voluntati necessitas, non inuenio; nisi fortè cum deordinata est phantasia, & in partem intellectiuã deordinatio redundat, quod fit in amentibus.

Dicent posse Deum ita voluntatē ad exercitium actus prædeterminare, vt illi non inferat necessitatem, sed liberam relinquat ad agendum, & non agendum; quamuis ita quoque prædeterminare illam queat, vt imponat necessitatem; ac proinde diuersum esse modum prædeterminationis, cum Deus ad supernaturales actus voluntatem determinat, & cum illam vult necessitare. Verùm hoc liberè dicitur & à veritate abhorret; facileque refutari potest, quia nulla omnino potest assignari differentia in modo prædeterminandi. Cum enim voluntas ita ad agendum applicatur, vt nequeat applicanti resistere, tunc quidem verè determinatur, & necessitatur: si resistere potest, quemadmodum non necessitatur; ita nec prædeterminatur. Accedit quòd oppositæ sententiæ auctores expressè dicunt, posita gratia efficaci, per quam Deus volun-

20
*Qua di ere
possint aduer
sa partis Au
ctores.*

*Refellitur eo
rum resposio.*

tatem ad agendum determinat, non posse voluntatem non agere in sensu composito, hoc est, gratia supposita, quod intelligi nullo modo potest absque necessitate.

21
 Physicā præ-
 determinationem, nec uti-
 lem esse, nec
 congruam, sed
 potius noxiā.
 Hæretici.

Lutherus.

Calvinus.

Vnde patet non modò non requiri physicam prædeterminationem ex voluntate Dei extrinseca; sed neque utilem esse, & congruam, imò potius esse noxiā, siquidem ea posita, necessariò tollitur vsus libertatis; quod Lutherus, Calvinus, aliique hæretici intellexerunt posita gratia prædeterminante. Vnde cum impiè vellent hominem facere truncum; & quoddam inanime, liberumque arbitrium rem de solo titulo, atque adeò omnes nostras actiones, siue bonas, siue malas refundere in Deum, & ipsum non minus peccati, quàm bonorum operum auctorem constituere, consequenter asseruerunt creatas volūtates physicè ab illo determinari, quia rectè sciebant ea determinatione quocunque modo admissa; tolli arbitrij libertatem. Ex quo posset Lutherus illud dicere apud Roffens. *Homo multa solet proponere coactus Dei providentia.* Et illud, *Non sicut nos, sed sicut ille vult, ita vivimus, facimus, &c.* Et Calvinus apud Bellarm. lib. i. de grat. & liber. arbitr. capit. 11. *Mouet gratia, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo, &c.*

Soluuntur opposita argumenta.

QVæ pro sententia contraria fuerunt obiecta ex Litteris diuinis, nihil omnino vrgent. In illis enim testimoniis partim ostenditur specialis quædam Dei prouidentia in mouendis, inclinandisque hominum voluntatibus ad actus bonos; partim indicatur eius desertio circa aliquos peccatores, quos nunquam destituit communibus, & sufficientibus gratiæ auxiliis, licet eos non præueniat specialibus, & efficacibus, sine quibus nõ quidem necessariò, sed infallibiliter ruunt in peccata. Ita communiter explicant Patres, ex quibus Chrysostr. homil. 1. de Elia, exponens illud, quod lib. 3. Reg. cap. 17. dixit Deus Elia, *Præcepi tibi mulieri viduæ, ut pascat te*, præcepti nomine non intelligit verum præceptum, sed motionem quamdam, & inclinationem, quam Deus indidit viduæ Sareptanæ, ut Eliam hospitio exceptum cibo reficeret.

Ad primum argumentum respõdeo Deum in homine simul cum homine efficere bonam eius operationem non prædeterminando, sed excitando, adiuuandoque eius voluntatem: quod sufficit, ut verissimè dicatur facere, ut homo velit, & faciat, sicut sæpiùs dictum est: nam & inter homines qui suadet, & iuuat, dicitur facere, ut alius faciat, quod maximè competit Deo, sine quo excitante, & iuuante in operibus gratiæ nihil humana voluntas fa-

22
 Quomodo accipienda quæ ex Scriptura obiecerat aduersarij.

Chrysostr.
 3. Reg. 17.
 Præcepti nomine intelligitur motio, & inclinatio.

23
 Diluitur primum argum.

cit,

m 98

cit, nec potest facere.

*Secundi solu-
tio.*

Concilium
Tridentin.

*Solus Deus
discernit à re-
probis electos.*

24

*Expendun-
tur illa ver-
ba Pauli, quis
est qui te di-
scernit.*

Chryso-
stom.
Theophyl.

Augustinus.

Ad secundū respondeo aptissimè ad Deum referri discretionem electorum à reprobis, & bonorum à malis, graduum quoque diuersitatem inter iustos, denique conuersionem eorum, qui uocationi respondent, & cætera eiusdem generis. Vt enim Deo iure tribuatur, ea causa est, quia ut dicitur in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 16. *Spiritus sancti uirtus nostra bona opera antecedit, comitatur, & subsequitur.* Itaque à reprobis solus Deus discernit electos, quia solus ipse ex eadem massa corrupta, quosdam separauit in gloriam, absque ullis omnino eorum meritis, alios destinauit ad gehennam propter mala eorum merita.

Quod attinet ad uerba illa, *Quis est qui te discernit?* varia est Interpretum expositio. Quidam Græci, ex quibus sunt Chryso-
stom. homil. 12. Theophylact. & alij ad eundem locum Pauli dicunt sermonem esse non de causa efficiente unum alio sanctiorem, nec item de causa separante electum à reprobis, aut iustum ab iniusto, sed de illo à quo ferendum est iudicium de hac diuersitate; quasi dictum sit; *Quis te dijudicat?* aut cuius iudicio dignum te maiori laude, vel honore existimas? Alij ex Latinis auctoribus putant loqui Paulum de discretionem facta per Baptismum, de quo in eo capite locutus fuerat. Alij modis alijs explicant. Nos putamus admittendam Augustini, & Scholasticorum ferè omnium inter-

preta

pretationem de causa discretionis inter sanctum, & non sanctum, aut minus, & magis sanctum: & dicimus dupliciter posse in Deum huiusmodi discretionem referri; vno modo, vt in causam totalem; altero, vt in principalem. Si enim sermo sit de discretionem electi à non electo, & vocati à non vocato, aut efficaciter vocati à non ita vocato, constat solum Deum esse, qui discernit, quia homo neque in sua electione, neque in sua vocatione quidquam efficit, sed solus Deus est, qui eligit, solus qui vocat, solus qui efficaciter vocat.

Si verò loquamur de discretionem vnus ab altero, facta per conuersionem, siue per consensum liberum, non solus Deus discernit: sed simul cum homine, quia cooperari diuinæ vocationi non solius Dei est, sed etiam hominis cooperantis. Quare in genere causæ eligentis ad gloriam, & præuenientis in tempore, ac moraliter persuadentis, solus Deus vnum ab alio discernit, quia solus ipse sua gratuita voluntate decreuit hunc saluum facere, ad fidem, & sanctitatem vocare, efficaciterque mouere: at in genere causæ exequentis, seu facientis ipsam discretionem, per actus fidei, dilectionis diuinæ, pœnitentiæ, aliòsve similes: licet Deus principaliter discernat, quia confert homini gratiam efficacem, qua excitatur, & adiuuatur ad credendum, diligendum, & pœnitendum; non solus tamen discernit, sed cum homine simul, atque adeò

Deus solus discernit vocatum à non vocato.

Deus cū homine quos discernat.

ipse

2. Tim. 2.
1. Ioan. 3.
Psalm. 72.

1. Corint. 6.
Esai. 52.

*Pertractatur
illa quaestio,
possitne homo
de sua conuer-
sione gloriari?*

25
Bernard.
Psalm. 113.

*De iditur
praefata qua-
estio.*

ipse quoque homo se discernit, quia credit, diligit, conteritur, & ex consequenti emundat se 2. ad Timoth. 2. *sanctificat se*, 1. Ioan. 3. *iustificat se*, Psalm. 72. *separat se à malis*, non tam corpore, quam affectu, & operibus. 2. ad Corinthios 6. & Esai. 52.

Verùm quoniam ad hanc discretionem non habet homo à seipso sufficientes vires, sed illas accipit à Deo, propterea à Deo tribuitur discretio; ideoque statim addidit Apostolus: *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Ex quo dubitatio oritur, possitne homo de sua conversione gloriari, quod prohibere Paulus videtur.

Multi absolutè negant, quibus fauet Bern. tractat. de grat. & liber. arbitr. ad finem afferens illud Dauidicum, *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, & quod est, inquit, & quod iustus est, à Deo esse confitetur, ne si utrumlibet negaret, utrumque perderet, amittendo utique, unde iustus est, & sic damnando quod est.* Ad hanc dubitationem respondendum est, non posse hominem gloriari de actu producto ex auxilio gratiæ, quasi illum non acceperit; id Paulus vetat, *Quid gloriaris quasi non acceperis?* cum enim homo nequeat viribus suis illum producere, neque ex propriis meritis habeat necessarium auxilium ad illum producendum, sed ex mera Dei liberalitate, & bonitate, hæreticus erit, si de illo gloriatur, qua-

si non

si non acceperit. Vnde egregie Augustinus in Enchiridio. cap. 32. *Ne quisquam, & si non de operibus, de ipso gloriatur libero arbitrio voluntatis, tamquam ab ipso incipiat meritum, cui tamquam debitum reddatur premium bene operandi ipsa libertas, audiat eundem gratia precorem dicentem, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate, & alio loco. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Et statim, Cum proculdubio si homo eius etatis est, ut ratione iam utatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec pervenire ad palmam superna vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit; quomodo ergo non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Deo preparatur, &c. Ecce quo pacto nequeat homo de suis bonis operibus gloriari.*

At non esse simpliciter malum de bono usu liberi arbitrij in huiusmodi operibus gloriari, inde patet, quia homo propter talia opera laude, & gloria dignus est. Et Paulus ad Romanos 2. dixit, *Gloria & honor, & pax omni operanti bonum; & 1. ad Corinth. 4. Laus erit unicuique à Deo. Quin etiam re ipsa gloriatur, 2. ad Timoth. 4. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, &c. & 2. ad Corinth. 12. Si voluero, inquit, gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam. Igitur communi consensu docent Patres, & interpretes Pauli ad loca citata non esse cuiquam per se illicitum de suis bonis operibus, itémque de sua pœnitentia, &*

Augustinus.

Philip. 2.
Romanor. 9.

26

*Gloriari de operibus bonis quomodo liceat.*Roman. 2.
1. Corint. 4.2. Timot. 4.
2. Corin. 12.*Quando licitum sit de bonis operibus gloriari.*

conuer

m 99

1. Cor. 1.
Augustinus.

2. Cor. 12.

27

Solutio tertij
argumenti.

Scientia me-
dia qua fit.

conuersione gloriari, si modo id bono fine, & recto ordine faciat, hoc est, attribuendo Deo id, quod est, & quod laudabiliter facit, à quo accepit vires, vt faceret, quod non est aliud, quàm in Domino gloriari, iuxta illud 1. ad Corinth. 1. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Vnde August. Epistol. 106. edisserens illud, *Quid gloriaris, quasi non acceperis, hoc utique totum, inquit, non ideo, vt homo non gloriatur, sed vt qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Qui negat gloriari hominem posse, duo respiciunt, primò, ne quis ita gloriatur, vt sibi. aut totaliter, aut principaliter tribuat, quod rectè fecit, quod non est in Domino gloriari; secundò, ne qua inanis gloria subrepat; propter quod dixit Apostolus 2. ad Corinthios 12. *Si gloriari oportet, non expedit quidem.*

Ad tertium argumentum respondeo absque vlla voluntatis prædeterminatione infallibiliter constare electorum prædestinationem; neque timendum esse, ne quis ex prædestinatis, aut cum lethali culpa decedat, & damnetur, aut vltra statutos vitæ terminos sit expectandus, vt resipiscat. Adde etiam non opus fuisse, vt prædestinatorum electio ex præuisis ipsorum meritis facta sit, ne fortè aliquis ex iis merita nõ habeat, per quæ æternam salutem assequatur. Hæc enim omnia rectè inter se cohærent posita illa conditionalium futurorum scientia, per quam Deus, antequam modo intelligendi nostro quid-

quam

quam in æternitate absolutè statueret, cognouit quid vnaquæque creata voluntas factura esset, si in hac, aut illa occasione, & in his, aut illis loci, temporis, & aliarum rerum circumstantiis, talibus, vel tantis munita auxiliis constitueretur. Nam hæc scientia (quæ à quibusdam dicitur conditionata, quòd respiciat futura sub aliqua conditione, & ab aliis media, quòd rationis ordine medium locum teneat inter eam, quæ simplicis intelligentiæ, & eam, quæ dicitur visionis) ab iis tantùm repudiari potest, qui neque diuinas Litteras aptè interpretantur, neque doctrinam Patrum perspectam habent, neque satis considerant diuinæ prouidentia, prædestinationis, & gubernationis ordinem. Litteræ enim diuinæ Exod. 34. 1. Reg. 23. 4. Reg. 13. Sap. 4. Esai. 60. Matth. 26. Luc. 10. & 16. 1. Ioan. 2. & multis aliis in locis apertissimè testantur nouisse Deum, quid plurimis in rebus esset euenturum, si hoc aut illud fieret: hoc verò de imperfecta aliqua, & tantùm coniecturali notitia interpretari, omnino indecens, & indignum Deo est. Ex Patribus legatur vnus Augustinus Epist. 49. q. 2. de prædest. sanctorum, capit. 9. & 12. de bono perseuer. cap. 9. & 10. de gratia, & liber. arbitr. cap. 23. de corrept. & gratia, cap. 81. de peccator. merit. & remiss. cap. 21. 2. de Nupt. cap. 16. contra Cresconium grammaticum. capit. 8. & mille aliis in locis, in quibus adeò perspicuè concedit Deo scientiam eorum, quæ per libe-

*Cur dicatur conditionata.**Et cur media.**Necessariò esse admitteã*

Exod. 34.
1. Reg. 23.
4. Reg. 13.
Sap. 4.
Esai. 60.
Matth. 26.
Luc. 10.
& 16.
1. Ioan. 2.

Augustin.

m 100

rum arbitrium futura essent positis certis conditionibus, vt non sit vlllo modo de eius mente dubitandum.

28
Auctoris sententia de scientia Dei media.

Mihi quidem penè certum est huiusmodi scientiam reperiri in Deo; nec satis intelligo, quonam modo constare sine illa possit ea scientia, quæ dicitur visionis, quam qui Deo neget, hæreticus sit. Si enim Deus more intelligendi nostro, non prius nouit, quid esset facturus Petrus, si post trinam negationem tali auxilio præueniretur, quo pacto scire potuit cū tanta gratia fore re ipsa conuertendum, vt tantam conferret, si illum cōuertere decerneret? Nam collatio determinati auxiliij non potuit Deum efficere certum de conuersione Petri, nisi prænouisset illum cum tanto conuertendum, cum minore non conuertendum.

Prædestinatio est infallibilis.

Quare cū Deus per conditionatam scientiā cognoscat prædestinatum vocationis gratiæ fore cooperaturum, si in hac, aut illa occasione, tãto ac tali auxilio excitetur, accedente decreto æterno, quo statuit tantum ac tale illi auxiliū in tempore conferre; certa & infallibilis relinquitur prædestinatio. Num verò aut electio ex præuisis meritis facta sit, aut libertati repugnet, ante præuisa merita fieri, quæstiones sunt aliò spectantes, quæ nequeunt breuiter enodari; neque earum solutiones ad rem præsentem quidquam faciunt.

29
Duplex quaestio.

Circa quartum argumentum duplex quaestio esse potest; prima, An supernaturales

actus

actus potuerint ab æterno prædefiniri à Deo, salua eorum libertate: secūda, An re ipsa fuerint prædefiniti. Vtrique quæstioni simul, & breuissimè respondeo, non solùm eos actus, salua illorū libertate, prædefiniri potuisse, verùm etiam prædefinitos fuisse, non quidē ante omnem eorum præscientiam, neque post absolutā præuisionem, sed post scientiā conditionatam, qua Deus illos futuros prænouit, si creatæ volūtates his vel illis auxiliis ad eos eliciendos tali, vel tali tempore præuenirētur. Deus enim perspecta omnino per scientiam simplicis intelligentiæ voluntate Petri, & penetrans quid in omnibus occasionibus, & circumstantiis posset efficere; itēque per scientiā mediā cognoscens illum certos fidei, dilectionis, & contritionis actus liberè producturū, si talibus auxiliis ad eos producendos excitaretur, voluit, vt ipsos in tēpore produceret, statuens illi conferre ea auxilia, quæ ad id necessaria esse præuidit; & in hoc absoluto Dei decreto, supposita notitia conditionata, æternæ prædefinitionis ratio posita est: ad eius verò impletionē nullo modo requiritur, vt Petri voluntas in tēpore à Deo physicè prædeterminetur ad actus prædefinitos. Vnde scitè, & eleganter August. de Corrept. & grat. cap. 14.

Vtriusque
quæstionis re
solutio.

Deo, inquit, volenti saluū facere, nullum humanū resistit arbitrium: sic enim velle, vel nolle in volētis est potestate, vt diuinā voluntatem nō impediāt, nec superet potestatem. & Anselm. de Concord. c. 2.

Augustin.

Anselm.

*Quaedam
præscita non
eueniunt, quia
præscita sunt.*

30
*Ad ultimum
argumētum.
Volūtas Chri-
sti quomodo
fuit præde-
terminata.*

*Soarius.
Fonseca.*

Quamuis, inquit, necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur; quedam tamen præscita & prædestinata non eueniunt ea necessitate, quæ præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rē sequitur; non enim ea Deus, quamuis prædestinet, facit, voluntatē cogendo ut voluntati resistendo, sed in sua eam potestate dimittendo.

Postremum argumentum tangit grauissimam difficultatem de operibus Christi Domini, quæ non potest facile, nec breuiter expediri. Ut argumento fiat satis, sufficit dicere, ex vi hypostaticæ vnionis determinatam fuisse Christi Domini voluntatem ad implenda omnia præcepta sibi à Patre imposita, atque ad eò ad non peccandū; non fuisse tamen determinatam neque ad modos, & circumstantias operandi, neque etiam ad operum perfectionē, neque, ut multi volūt, ad ipsam actionū substantiam. Qua de re præter antiquiores Theologos cū Magistro in 3. dist. 12. videātur recētiore apud D. Thom. 3. p. q. 15. præsertim Frāciscus Soarius ibi, & Petrus Fonseca 6. lib. Metaph. ca. 2. q. 5. sect. 6. vbi pro suo instituto egregiè quæstionē edisserit. Quæ ex August. Bernardo, & D. Tho. addita sūt, postea exponā.

Virum ex sententia D. Augustini gratia efficaæ voluntatem physicè determinet.

P A R S Q V I N T A.

Ostensum est, quid iuxta veritatem de physica prædeterminatione tenendum

sit.

fit. Sed quoniam auctores sunt, qui ex pertinacia potius, quàm ex iudicio eam tueri videntur, & Augustino vtuntur, tamquam opinionis suæ auctore & patrono, oportet seorsim expendere. An re vera id Augustinus senserit, quod illi asserunt, aut modo aliquo ipsis suffragetur.

In primis igitur suppono non posse ex August. colligi præfatam determinationem ex generali subordinatione causæ secundæ ad primam. Nam ubicunque August. circa hominis voluntatem aliquid Deo speciale tribuit, non de operibus naturæ loquitur, sed de efficacia, & virtute gratiæ, cuius patrociniû aduersus Pelagianos suscepit. Hoc adeò notum & receptum est, vt oleum perdat, qui probare velit.

Deinde suppono propter illud etiam principium, *Quòd salutis exordium non sit ab homine, sed à Deo per gratiam*, non posse ex eodem Augustino colligi prædictam voluntatis determinationem: cùm enim hac de re agit, solum conatur ostendere actiones bonas, quæ animæ salutem respiciunt, non præcedere gratiam, sed subsequi, Deo videlicet prius voluntatem excitante, & in bonis operibus adiuuante. Quod verò voluntates eorum, qui cõuertuntur physicè determinantur à Deo ad actû conuersionis, ex eo quidem principio nusquã colligit, neque est in eius doctrina quidquam, ex quo iudicari queat id eum aliquãdo voluisse.

Ex generali subordinatione causæ secundæ ad primam non colligi præfatam determinationem.

Bona opera non præcedunt gratiam, sed subsequuntur.

in 102

Ex quo maxime principio colligi videatur physica determinatio apud August.

3
Qua loca apud Augustinum hanc praedestinationem videantur adstruere. August. de praedestinatione sanctorum. cap. 6. Cap. 8. eiusdem lib. Lib. 2. de peccat. merit. & remis. c. 5. De corrept. & grati. cap. 11.

Aliud igitur est in hac materia principium omninò in fide certum, & ab Augustino valdè celebratum, ex quo fortasse quispiam colligat, physicam voluntatis determinationem ex ipsius sententia concedendam esse. Nimirum dari iis, qui ad Deum conuertuntur, peculiarem quamdam gratiam, qua non tantùm conuerti possint, sed re ipsa atque infallibiliter conuertantur. Quæ enim de hoc gratiæ genere interdum dicit, indicare videntur illum in ea opinione fuisse, vt crederet ita Deum per suam gratiã inclinare, ac flectere voluntates eorum, qui sibi vocanti respondent, vt illas efficaciter, ac physicè ad conuersionem determinet.

Colligi hoc videtur ex variis eius testimoniis, ex quibus simpliciter referam quædam, quæ ad hoc institutũ putari possunt illustriora. In libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 6. *Multi audiunt verbum veritatis; sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti, nolunt autem illi. Quis hoc ignorat? Sed cum aliis præparetur voluntas, aliis non præparetur, dicendũ est, quid veniat de misericordia, & quid de iudicio.* cap. 8. eiusdem lib. *Illis datur, vt credant, istis non datur; quia nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eũ.* lib. 2. de peccat. merit. & remis. ca. 5. *Cur illum Deus adiuuet, illum non adiuuet, illum tantum, illum non tantum, istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, & equitatis tam secreta ratio, & excellentia potestatis.* de corrept. & grat. cap. 11. *agens de adiutorio Dei, Vt non solum,*

inquit,

inquit, ad sit, sine quo permanere non possumus; verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus, & cap. 12. eiusdem lib. Subuentum est infirmitati voluntatis humanae, ut diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageret. Et ca. 14. Cum homines per correctionem in viam iustitiae seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille, qui quolibet plantante, atque rigante dat incrementum Deus, cui volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium? Sic enim velle & nolle in volentis, ac nolentis est potestate, ut diuinam voluntatem non impediatur, neque superet potestatem. In Enchir. cap. 13. Nullus, inquit, hominum saluus fit, nisi quem Deus saluum fieri velit, quia si vult, necesse est fieri. Lib. 1. de grat. Christi, ca. 14. Intueantur, atque fateantur non lege, atque doctrina sonante forinsecus; sed interna atque occulta, ac mirabili, & ineffabili potestate operari Deum in cordibus humanis, non solum veram reuelationem, sed etiam bonam voluntatem. Lib. 1. ad Simplician. q. 2. Non volentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.

Huius generis multa sunt apud Augustinum, ex quibus iuxta eius sententiam colligi videtur physica voluntatis praedeterminatio. Quid enim est, voluntates quorundam preparari, aliorum non preparari; vnde fiat, ut credant illi, non credant isti? Quid, illud venire de misericordia, hoc

Ca. 12. eiusdem lib.

Et cap. 14.

In Ench. ca. 13.
Lib. 1. de grat. Christi, cap. 14.

Li. 1. ad Simplician. q. 2.

4
Cōficitur argumentum pro physica determinatione ex praefatis testimoniis.

103

indicio? Quid, illos ad filium trahi, hos non trahi? Quid, unum à Deo iuari, alium non iuari, idq; referre ad rationem secreta equitatis, & excellentiam potestatis? Quid, tantum, ac tale gratia adiutorium quibusdam dari, ut re ipsa velint? Quid, gratiam diuinam indeclinabiliter, & insuperabiliter agere? Quid, volenti Deo saluum hominem facere, nullum arbitrium resistere, nihil eius voluntatem impedire, neque superare potestatem? Quid, rogandum esse Deum, ut velit hominem saluum facere, quia si vult, necesse est fieri? Quid, Deum interna, occulta, mirabili, infallibili potestate operari in cordibus humanis non solum veram reuelationem, sed etiam bonam voluntatem? Quid, vocationem quorundam talem fuisse, ut ea moueri non possent? Denique huiusmodi alij loquendi modi Augustino in hac materia valde familiares quid aliud possunt significare, nisi physicam creatæ voluntatis determinationem?

Proponitur vera sententia iuxta mentem Augustini.

5 **S**Tatuendum omninò est, D. Augustinum ita hac de re sensisse, ut affirmandum sit præfatam prædeterminationem neque indicasse vnquam, nec planè somniasse.

In primis, poteratne doctissimus Pater determinandi verbum ignorare, ut in re grauissima, de qua frequentissimè disseruit, eo vteretur, si vellet? Cùm sæpissime significare

voluerit, quæ, & quanta esset virtus gratiæ efficacis, cur obsecro, vel semel tantum determinandi verbum non usurpauit, si hanc illi vim inesse credidit, aut si putauit ita Deum voluntates quorundam flectere, vt ad consensum determinet? Certè quod Augustinus non expressit, cum exprimere non tantum deberet, sed etiam facile posset, non est vlllo modo eius menti attribuendum, vt temerè credamus indicatū, quod debuit esse expressum.

Deinde apud Augustinum duo prorsus certa sunt. Primum est, gratiam efficacem non esse quidpiam à vocatione diuersum: nam & ipsam vocationem appellat *Altam, secretam, congruam, seu congruenter collatam, secundum propositum, ex misericordia*: vocabulisque similibus, & illi attribuit peccatoris conuersionem, bonam voluntatis cooperationem, cæteraque eiusmodi, quæ efficaci gratiæ tribuuntur: ait enim lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset. De bono perseuer. cap. 8. Cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Et lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 5. de conuersione Pauli loquens, *Vt de cælo, inquit, vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala.* Patet igitur ex his, & plurimis aliis locis, in quibus Augustinus voca-

Determinādis
verbum nūq̄
quam in hac
materia usur
patū ab Au
gustino.

6
Efficacē gra
tiam non esse
quidpiā à vo
catione diuer
sum, apud
Augustinū.

tionis nomine utitur, gratiam efficacem, ex eius sententia à vocatione congrua non differre.

Gratiã præuenientem, & vocationem nihil apud Augustinum differre.

Secundum est, gratiam præuenientem, & vocationem nihil etiam apud ipsum differre, atque adeò non aliud formaliter esse vocari hominem à Deo, quàm eius gratia præueniri, & excitari. Patet ex mille eius testimoniis; quod etiam traditur in Concilio Tridentino, sess. 6. cap. 5. illis verbis: *Declarat prætereà iustificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Idem igitur est vocatio, & gratia præueniens, iuxta Augustini sententiam, quæ omnino vera, & Catholica est; nec vocatio congrua à gratia efficaci differt, atque adeò apud Augustinum inter gratiam præuenientem, & efficacem nullum est discrimen constituendum.

Inter gratiã præuenientem, & efficacem nullum esse discrimen.

7
In doctrina Augustini nulla gratia præueniens voluntatem physicè determinat.

Ex his igitur suppositis ita struitur argumentum. In doctrina Augustini nulla gratia præueniens voluntatem physicè determinat, neque id vllò in loco potest ex illo colligi: ergo secundum eius sententiam nulla ratio est admittenda physica illa prædeterminatio. Ut probem antecedens, suppono id, quod iam sufficienter probatum est, nimirum cum physica prædeterminatione non posse stare voluntatis indifferentiam, & libertatem ad alterutram partem contradictionis: siquidem aduersarij fatentur, & tuentur, posita ea qua-

litate,

litate, seu motione, quæ est gratia efficax, voluntatem non posse illi resistere in sensu composito, id est, supposito, quod in animo hominis sit. Hoc igitur supposito, quoties Augustinus, vel quivis alius dixerit, voluntatem à Deo præventam, & excitatam liberè consentire, ac proinde posse resistere, & cassam reddere vocationem; itémque consentire, & dissentire nostrum esse, aliáque huiusmodi, quibus significatur libertas, & indifferentia in agendo: intelligendus erit, prædictam determinationem negare. Afferam igitur in medium nonnulla, ex quibus antecedentis veritas aptissimè colligatur.

In lib. I. ad Simplicianum, quæst. 2. præter alia sic scribit: *Quid est igitur, quod sequitur, non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei? An quia nihil velle possumus, nisi vocati, & nihil valet nostrum velle, nisi ut perficiamus, adiuuet Deus? Ut velimus suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo.* Non ait, suum determinando, sed vocando; ut indicet, arbitrij libertatem, & indifferentiam in sequendo: non enim ita Deus vocat, ut venire compellat: *Quia multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quod in eadem quæstione expendit.

Item lib. de Spiritu, & litter. cap. 34. sic ait: *Attendat, & videat: Non ideò tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus,*

ut veli

8

Probatur antecedens præfati argumenti variis testimoniis.

Ut velimus, Deus suum esse voluit, & nostrum.

Matth. 20.

9

105

*Non ob stare,
quòd voca-
tionem effica-
cem nonnun-
quam tractū
appellet Au-
gustinus.
Ioann. 6.*

*ut velimus, & ut credamus, siue extrinsecus, &c. siue intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae voluntatis est. Expendi etiam potest ex cap. 8. de prædest. Sanctor. quòd efficacem vocationem commendans, dicit illam à nullo duro corde respui, quia tribuitur, ut duritia cordis auferatur; non dicit non posse respui: ex quo sequitur, voluntatem non determinari per illam ad consensum, sed tantummodò illi cooperari, quia congruenter datur. Nec obstat, quòd vocationem efficacem nonnunquam tractum appellat: nam tractatu 26. in Ioannem, satis fusè declarat eum tractum liberum esse, neque ita voluntatem trahi, ut nequeat resistere. Cùm enim dixisset illud Christi Domini: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: sic objicit: *Quid hìc dicimus, fratres, si trahimur ad Christum? ergo inuiti credimus: ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur?* Respondet: *Noli cogitare te inuitum trahi, trahitur animus & amore, &c.* Et paulò post hunc tractum appellat *reuelationem*: *Ipsa, inquit, reuelatio est attractio.* Et rursus: *Videte, quomodo trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo.* Mitto huius generis sexcenta, quæ quàm rectè, & ad Fidei normam conformiter dicuntur, tam sunt ab illa physica prædeterminatione aliena.*

*10
Qua de coo-*

operatione, & consensu voluntatis, facil-

limè

limè colligitur, nunquam illum existimasse concedendam esse in hac materia prædictam determinationem, siquidem ignorare non potuit, tolli vsum libertatis, si voluntas ab aliquo extrinseco principio physicè prædeterminaretur. At liberè voluntatem consentire efficaci vocationi, plurimis in locis tetatissimum reliquit, ca. illo 34. de Spiritu, & littera, sic ait: *Neque enim credere potest quodlibet liberum arbitrium, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propria voluntatis est. Quæ res non solum non infirmit quod dictum est: Quid enim habes, quod non accepisti, verum etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem, & habere, utique accipientis, & habentis est. Ideò Augustinus tribuit consensum voluntati consentienti, quia ad illum seipsa determinat, quemadmodum ad dissensum; quamuis ad illum vocata à Deo, & adiuta; ad istum, Deo generaliter duntaxat concurrente: alioqui neque negat, neque negare aut ipse, aut vllus alius verè potest, bonum voluntatis consensum Deo potissimùm esse tribuendum, qui ad illum eliciendum efficaces vires contulit.*

Eòdem tendunt illa ex lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 17. *Ut velimus, sine nobis operatur;*

peratione, & consensu voluntatis reperiuntur apud Augustinū, physicam determinationē omnino excludunt.

IK

cum

Cooperator
Deus est, si
homo sit o-
perator.

Contra Adi-
mantū. c. 26.

Matth. 12.

Ioann. 1.

Voluntas nisi
præuenta pe-
gratiā nō de-
terminatur
ad conuersio-
nis actum.

cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur. Et Serm. 13. de verbis Apostoli: Si tu non esses operator, ille non esset cooperator. Sæpissimè utitur hoc loquendi modo, quo declarat, aliter operari Deum in homine sine homine, aliter cum ipso homine; quia videlicet quando in ipso operatur sine ipso, determinat illum ad agendum, ut fit in gratia præueniente, quæ est motio non libera, saltem cum primùm in animo hominis excitatur: quando verò operatur cum ipso, ipse se homo determinat, ut fit in libero consensu. Ex lib. 1. Retract. cap. 22. Alio loco dixi: Nisi quis voluntatem mutauerit, bonum operari non potest; quod in nostra potestate esse Dominus alio loco docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum; aut facite arborem malam, & fructum eius malum; quod non est contra gratiam Dei, quam predicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem; sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur: de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Verbum illud, Mutare quod in hominis potestate dicitur esse, significat absque dubio, hominem pro suo arbitratu se ipsum determinare ad actum pœnitentiæ, non tamen sine Deo excitante, & adiuuante: & idè addit Augustinus: Sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur. Nam licet humana voluntas ad conuersionis actum se determinet, id tamen facere non potest, nisi à Deo per gratiam præueniatur, & adiuuetur. Huius generis

sunt

sunt plurima, in quibus ita loquitur Augustinus de concursu Dei per gratiam cum libero arbitrio, ut nihil fuerit ab eius sententia magis alienum, quàm asserere, voluntatem humanam in actibus liberis, cuiuscumque ordinis sint, ab alio, quàm à seipsa quoad exercitium actus physicè determinari.

Tandem ex doctrina Augustini, quæ verissima est, apertissimè constat, totum influxum in actibus ad salutem pertinentibus sola excitante, & adiuuante gratia contineri: sic enim ait in Enchiridio, cap. illo 32. *Totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam.* Vbi præparationis nomine intelligit gratiam vocationis. Simili etiam modo Concilium Tridentinum complectens totum gratiæ influxum sess. 6. Can. 3. ita decernit: *Si quis dixerit, absque præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.* Inspirationis nomine intelligit gratiam excitantem; nomine adiutorij, gratiam adiuuantem: & nullam aliam requirit gratiam ad eliciendos Fidei, Spei, Charitatis, aut pœnitentiæ actus, quales ad iustificationem requiruntur. Ex hoc igitur fundamento dico etiam, valdè abhorrere à sententia, & mente Augustini physicam illam determinationem. Nam siue de gratia excitante, siue de adiuuante loquatur,

determi

12

Totum influxum in actibus ad salutem pertinentibus sola excitante, & adiuuante gratia contineri.

Concilium Tridentinum.

Inspirationis, adiutorijq; vocabulu, gratia excitans, & adiuuans significatur apud Concilium Tridentinum.

determinationis, neque vnquam meminit, neque asserit quidquam, ex quo illa modo aliquo colligatur, vt satis ostensum est, & satis superuacaneum fuerit repetere. At præter hæc auxilia excitantis, & adiuuantis gratiæ, siue sint re ipsa duo, siue vnum tantum sub diuersis respectibus consideratum, non datur aliud, quod ad influxum gratiæ pertineat, aut vlla ratione necessarium sit ad producendos actus supernaturales. Ergo quidquid aliud ponatur, voluntatem physicè determinans ad actus supernaturales, & à veritate alienum est, & cum Augustini doctrina nequaquam cohæret.

*Generalis re-
spōtio ad loca
Augustini
pro aduersa
parte relata.*

Ad omnia, quæ obiecta sunt, possum vno verbo respondere, illis loquendi modis indicari ab Augustino aliquam differentiam inter gratiam efficacem, & non efficacem, quæ in eo consistit, quòd illa infallibiliter voluntatem moueat, non determinando, sed suadendo, & alliciendo; hæc verò non ita moueat, vt effectum sortiatur.

13

Concilium
Tridentinū.

Placet tamen ex adductis testimoniis quædam exponere, in quibus nonnihil est difficultatis. Primum illud sit ex cap. 6. de prædest. Sanct. vbi soli Deo tribuitur præparatio voluntatis: videbitur enim idem esse præparatio, quod determinatio; nam voluntas tunc dicitur præparari, cum aptè ad iustificationem disponitur, vt patet ex Concilio Tridentino, sess. 6. Can. 4. apta verò dispositio

non

non videtur aliter fieri posse, nisi per voluntatis determinationem. Respondeo præparationis vocabulum variè sumi ab Augustino. Interdum enim significat motionem præuiam, qua Deus voluntatem præparat ad actum conuersionis, quo pacto in citato testimonio, & in multis aliis accipitur. Interdum significat dispositionem liberam, qua homo ad recipiendam iustificationis gratiam præparatur; hoc modo accipitur à Concilio Tridentino proximè citato, & sæpe in Scriptura. Huiusmodi verò præparatio non tribuitur soli Deo, sed libero etiam arbitrio, vt patet ex 1. Reg. 7. vbi dicitur, *Preparate corda vestra Domino.* ex cap. 16. Prouerb. *Hominis est preparare animam;* ex canone illo 4. relati Concilij, *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet, &c.* Et hac ratione dixit Augustin. lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. ca. 9. *Hominis est preparare cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.*

Notandum hic etiam est, ipsam quoque prædestinationem dici ab Augustino præparationem, & præscientiam gratiæ, & beneficiorum Dei: quæ præparatio æterna est, & interna Deo; à qua temporalis emanat, quæ fit per diuinam inspirationem: propter quod ex 8. cap. Prouerb. iuxta versionem LXX. interpretum sæpiùs illud repetit Augustinus, *Pre-*

Præparationis vocabulū variè sumitur apud Augustinum.

Concilium Tridentinū.

1. Reg. 7.

Prouerb. 16.

Concilium Tridentinū.

August.

Hominis est preparare cor sed non sine Dei adiutorio.

Prædestinatio dicitur preparatio gratiæ.

Prouerb. 8.

paratur voluntas à Domino. At cùm dixit preparari quibusdam voluntatem, non alijs, locutus est de vocatione efficaci, quæ ex diuina misericordia illis solùm tribuitur, qui consentiunt.

Illud quoque difficultatem habet, quod postremò ex lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. relatum est, *Ad alios, inquit, vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit, qua moueri non possent, nec eam capere apti essent; vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Videtur Augustinus non solùm sufficientis auxiliij rationem destruere, cùm ait, talem quorundam fuisse vocationem, vt ea moueri non possent, sed etiam motionis nomine non aliud significare, quam physicam prædeterminationem. Respondent quidam fuisse hæc ab illo dicta, non tam asserendo, quàm differendo; quod volunt colligere ex illis verbis antecedentibus, *An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, &c.* Dicunt alij illis verbis non impossibilitatem simpliciter, sed difficultatem indicari, quasi idem sit, *Qua moueri non possent*, ac si dicatur, *Qua difficilè mouerentur.* Putant alij in eo loquendi modo reperiri sensum compositum, vt si dicas, ita quosdam fuisse vocatos, vt non possent ea vocatione cum effectu moueri, quamuis illa esset sufficiens, vt mouerentur; supposito enim quòd inefficax esset, moueri ea non potuerunt, qui vocati sunt, quamuis alioqui possent illi consentire, si vellent. Alij

Referuntur
varia citat.
loci in interpre-
tamenta.

denique

denique ideo dictum existimant, illos vocatos non potuisse tali vocatione moueri, quia ad eam sequendam non erant aptè dispositi. Hæc expositio expeditior est, & probabilior, traditurque à plerisque Doctoribus. Itaque non inficiatur Augustinus vocationem fuisse sufficientem, vt vocati possent ea simpliciter moueri, hoc est, vt illi possent respondere, si vellent: sed tantummodo vult, non fuisse congruam, quia tunc est data, cum vocati non erant aptè dispositi, vt consentiret. At ex hoc nulla omnino determinatio colligi potest.

In cæteris testimoniis virtus gratiæ efficaci commmendatur. Dicitur enim *indeclinabiliter, & insuperabiliter agere*, quia licet absolute, & secundum se spectata respui queat, adeo tamen congruè confertur, vt nunquam respuatur. Ob eam causam dictum est, *Nullum arbitrium resistere Deo volenti hominem saluum facere, nihil impedire eius voluntatem, neque superare potestatem*; non quod resistere homo nullo modo possit, sed quod id non faciat, imò vocanti Deo liberè consentiat, & congruam motionem amplectatur. Vnde notandum est, non dixisse Augustinum non posse liberum arbitrium Deo resistere, sed tantum non resistere; quo pacto alibi dixit gratiam efficacem à *nullo duro corde respui*, non verò, respui non posse, quia absolute potest, vt postea magis explicandum est. Sed de sententia, & mente D. Augustini satis.

Qua videatur aptior probabiliorque expositio.

15
In aliis testimoniis efficaci gratia virtutè, non verò physicam de terminatione commendat Augustinus.

Quid alij Patres sentiant de physica voluntatis determinatione.

P A R S S E X T A.

EX iisdem fundamentis, ex quibus proximè ostensum est, physicam determinationem à mente Augustini abhorrere, probandum modò est ab aliorum quoque Patrum cogitatione longè fuisse alienam.

Nec verò curanda à nobis sunt, quæ iuniores quidam Theologi ex variis locis tumultuariè, & inutiliter aggerunt; quæcunque enim allegant, ea nihil aliud probant, quàm quod nos ipsi non solùm concedimus, sed etiam fatemur, testamur, prædicamus, hoc est, Deum per suam gratiam, allicere, mouere, inclinare, trahere humanas voluntates, quod Scriptura mille locis asseuerat. Item Deum per suam gratiam priùs mouere, & pulsare hominum corda, quàm homines ipsi consentiant; item Deum facere, vt velimus, & faciamus, aliàque huiusmodi, quæ quàm longè absint à physica determinatione, satis est explicatum: sic enim Deus mouet, inclinât, flectit, trahitque voluntatem, vt eam liberam relinquat, atque ad eò indifferentem, vt se ad quam volet contradictionis partem determinet, nam totum hoc negotium non aliter agit, quàm suadendo rationibus, alliciendo commodis, terrendo periculis, erigendo beatitudinis spe,

modisque

modisq̄ue aliis, quibus certè scit voluntates præmouendas, atque ita afficiendas, vt ad opera salutis seipsas liberè determinent.

Sed iam nostrum institutum Patrum auctoritate roboremus. Primùm, cùm Patres sepissimè loquantur de concursu Dei ad actus liberos creaturarum, siue naturales tantùm, siue supernaturales per gratiam, nunquam physicæ determinationis vocabulum vsurpant, nisi illam negando, vt statim videndum est: ergo non illam agnoscunt, nec admittunt in actibus ad salutem pertinentibus. Hoc etiam modo doctissimi quidam Theologi in hac materia argumentantur ex negatiua Conciliorum, maximè Arausici secundi, & Tridentini auctoritate: nam cùm in his Conciliis de necessitate, & efficacia gratiæ copiosa, & exacta doctrina tradatur, mirum sanè est, nullam prorsus in iis physicæ prædeterminationis mentionem fieri, si Deus in alliciendis, inclinandisq̄ue voluntatibus illa vtitur. Pari igitur modo cùm in Patrum monumentis de physica determinatione in materia de auxiliis nulla mentio facta sit, omnino colligendum est, fuisse illis prorsus ignotam, & quod inde sequitur, ab eorum sententia aberrare, qui illam concedunt.

Deinde quæ Patres dicunt de concursu Dei ad actus liberos tam ordinis naturalis, quàm supernaturalis, non solùm cum physica prædeterminatione non cohærent, sed maxi-

2
Nusquam apud Patres in materia de auxiliis prædeterminationis physica reperta mentio.

Concilium Arausicanũ.
Concilium Tridentin.

Qua de concursu Dei ad actus liberos tradunt Patres, cum physica determinatione omnino pugnant.

mè cum illa pugnant: non sentiunt igitur, ita creatas voluntates à Deo per gratiam moueri ad opera pietatis, vt physicè ab illa determinentur. Propositio non aliter probari potest, quàm recitatis, & quoad fieri poterit, examinatè eorundem Patrum testimoniis.

³
Clemens
Romanus.

*Simō Magus
primus libertatem arbitrij
sustulit.*

Dionysius
Areopagita.

*Liberū arbitriū
providentia diuina nō
obtunditur.*

Seruato igitur antiquitatis ordine incipiendum est à Clemente Romano, qui tertius post beatum Petrum rexit Ecclesiam, & vixit anno 68. à Christo nato. Is in epistola tertia dicit: *Si aliquid esset, quod audientes Fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret, præter eorum arbitrium, tolli meritum, & libertatem.* Idem indicat 3. leg. recognit. agens in persona D. Peri contra Simonem Magum, qui primus post Christi ascensum libertatem arbitrij necessitati diuinæ determinationis subiecit.

Dionysius Areopagita in 4. cap. de diuinis nominib. ait, *Deum rem quamlibet iuxta ipsius modum, & exigentiam mouere; idcirco rationalibus creaturis providere, vt libero agant arbitrio: quod fit, non illas ad bonum determinando, sed illustrationibus, & inspirationibus excitando.* Et cap. 9. de cœlesti Hierarchia, ita dicit: *Neque enim vita nobis data est, cui vis illata sit, aut imposita necessitas. Neque liberi arbitrij gratia diuinitus indulta mortalibus providentiæ diuinæ luce, & splendore obtunditur.* Providentiæ nomen significat prædeterminationem: nam propriam Dei circa res humanas

provi

providentiam, ut nihil omnino effugit; ita sanctissimi, & doctissimi Patres negare non potuerunt.

Iustinus Martyr quæst. 8. ad Orthodoxos: *Non igitur, inquit, causa est Deus virtutis nostræ, aut vitij, sed propositum nostrum, & voluntas.* Oportet intelligatur de causa determinante, quia aliàs falsò diceret non esse Deum causam nostræ virtutis, cum maximè sit.

4
Iustinus.

Irenæus lib. 4. contra hæreses, cap. 71. & 76. ait, hominem constitutum esse à Deo in sua potestate, ut sine vlla vi eius sententia, & suasionem vteretur: quod repetit lib. 5. cap. 1. dicens, Deum reducere homines ad se, *non vi, sed suadela.*

Irenæus.

Origenes in Epist. ad Roman. cap. 9. ait, *Deum tanquam bonum dispensatorem uti nostris voluntatibus ad ea perficienda, quæ cuiusque animus eligit.* Et lib. 2. de principiis, cap. 9. diversitatem inter rationales creaturas ex libero arbitrio, non ex voluntate Dei constituit. Et cap. 12. ait, non habere nos à Deo, *quod bonum, vel malum velimus.* Et lib. 3. cap. 1. & 3. multa scribit huc spectantia. Est autem in sensu sano interpretandus, cum quædam dicit, quæ cum ratione, & fide videntur minùs cohærere, quia neque generalem Dei concursum in naturalibus actionibus, neque auxilia gratiæ excludere vult in supernaturalibus; sed tantum prædeterminationis modum, cum quo existimavit nõ posse stare actuum libertatem.

Origenes.

Arnobius.

Arnobius in Psalm. 50. *Negas, inquit, libertatem arbitrii, si dixeris, Deus si vult, bonus sum; si non vult, bonus non sum.*

Hilarius.

Hilarius Pictaviensis in Psalm. 2. *Unicuique nostrum, inquit, libertatem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens. Et infra: Quid honoris, ac præmij bonitatis necessitas meretur, cum malos nos esse vis quadam nobis conferta non sineret? Vis, & necessitas significant absque dubio physicam determinationem, per quam imponitur voluntati necessitas.*

Nyssenus.

Gregorius Nyssenus, siue Nemefius, lib. 8. de Philosophia, cap. 8. docet, quæ sunt in nostra potestate, liberè à nobis disponi, nosque diuina prouidentia adiutos ea ordinare, ac determinare. Vnde refutans Euripidis, & Menandri de prouidentia errores, ita scribit: *Intellectus eorum, quæ in nobis sunt, est prouisor, aut agibilium, aut artium, aut contemplationis. Prouidentia verò eorum est, quæ non sunt in nobis, ut naturalis complexionis, & cæterorum huiusmodi.* In quibus nomine *Intellectus*, intelligitur humanum arbitrium; nomine verò *Prouidentia*, non aliud potest intelligi, quàm necessitas per determinationem physicam illata voluntati; alioqui non diceret, prouidentiam esse eorum, quæ non sunt in nobis, id est, in nostra potestate. Quare eodem modo accipit Nyssenus, aut Nemefius, *Prouidentiam*, quo illam accepit Dionysius supra relatus.

Ioannes Chrysofomus Homil. 11. in Ioannem: *Corporis*, inquit, *natura*, quocumque eam opifex ducere velit, eò sequitur, neque resistit: anima autem sui iuris vim in se habet operandi; neque vlla in re Deo, nisi velit, obtemperat: inuitam enim, & coactam minimè vult Deus. Loquitur de obedientia libera, & coactionem sumit pro necessitate, quam credit inferri voluntati, si à Deo ita moueatur, vt nequeat resistere mouenti. Homil. 4. de laudibus Pauli: *Non cogit*, inquit, *Deus homines vocando; sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum.* Homil. 2. in Genes. *Manifestum*, inquit, est sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere: nam nisi ita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributionem accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum post gratiam derelictum est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones. Notandum est, quod hîc dicit Chrysofomus: *Post gratiam; & supra, Post vocationem.* Vnde colligo duo: primum, posse gratiam vocationis respui, etiam in sensu composito, postquam nimirum collata est: alterum, falsò Chrysofomus imponi, quòd senserit, salutis exordium à libero esse arbitrio; quæ fuit Pelagiana hæresis: apertissimè enim docet, auxilium gratiæ in diuinis beneficiis primas partes sibi vindicare, nec illud nobis ex nostris meritis conferri. Homil. quoque 22. in Genes. *In nostra*, inquit, *voluntate post gratiam totum derelictum est.* Ecce

6
Chrysofomus.

Deus non cogit homines vocando.

Vindicatur à calumnia Chrysofomus.

m 112

quo pacto à gratia incipit, & nihilominus ea posita, vult in nostra esse libertate bene operari.

7
Hieronym.

Hieronymus in Epist. 146. ad Damasum, ait, hominem ita liberum esse, *ut vivat non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo.* Hoc est, non ex necessitate, sed ex voluntate. *Imperium* sumit pro motione determinante; ideo addit: *Non ex necessitate*: nam si pro lege sumatur, satis constat, non aliter hominem vivere debere, quàm ex præscripto legum diuinarum. In Epist. ad Ctesiphontem: *Velle, inquit, & currere meum est; sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.* Videri potest lib. 3. contra Pelagian. ad Roman. 8. & 9. ad Galat. 1. Epist. 149. ad Hebdibiam, qu. 10. & aliis locis.

Cyrillus
Alexandrin.

Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Iulianum, ad finem: *Ut nos, inquit, ad quoduis bonum sponte incederemus, consilio, non coactè vivere super terram hominem permisit Deus; & ita fuit ab initio: arripuit enim suæ voluntatis habenas, & suorum iussuum momento in utraque fertur, in bonum, inquam, & in malum. Itaque si ineffabili quadam, & diuina virtute, & efficacia usus, mutasset singulorum mentem ad bene agendum, & indidisset postea bonum, à quo egerrimè discedere posset, & non sponte, ultra non esset fructus mentis; neque res digna laude, sed necessitatis, & cupiditatis non voluntaria, id est, non libera.* Videatur etiam lib. 4. in Ioannem, cap. 7.

8
Prosper.

Prosper Aquitanicus lib. 2. de vocatione

gent.

gent. cap. 9. multa dicit continuata oratione, ex quibus carptim notanda sunt pauca. Quod à multis, inquit, refutatur, (loquitur de gratiæ opitulatione) ipsorum est nequitia; quod autem à multis suscipitur, & gratia est diuina, & voluntatis humane. Iterum: Nulla species cuiusquam virtutis occurrit, quæ vel sine dono diuina gratiæ, vel sine consensu nostræ voluntatis adhibeatur. Rursum: Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel Fidem, vel Spem, vel Charitatem in eis inesse, quorum ab iis bonis consensus alienus est. Videatur prætereà eodem lib. 2. cap. 4. & cap. 10. & lib. 1. cap. 3. aliàs 9. & in responsionib. ad obiecta Gallorum, cap. 7.

Aliàs 26.

4. aliàs 12.
aliàs 28.

Gregorius Magnus lib. 6. Moralium, cap. 11. Si superna, inquit, gratia nocentem non præuenit, nunquam profecto inueniet, quem remuneret innocentem. Supernam igitur pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, quod iam appetimus, agat nobiscum. In quibus verbis illud etiam noto, quod Gregorius eidem gratiæ præuenienti tribuit, quod simul cum libero arbitrio consensum producat: vnde ex eius sententia eadem est gratia excitans, & adiuuans, siue operans, & cooperans.

Gregorius Magnus.

Ioannes Damascenus lib. 2. Fidei Orthodoxæ, cap. 29. Quæ, inquit, in potestate nostra sita sunt, non prouidentia, sed libero nostro arbitrio assignari debent. Prouidentiam accipit propheta physica prædeterminatione, quam putat

9
Ioannes Damascenus.

inferre

Augustinus.

inferre voluntati necessitatem, ut de aliis Patribus supra diximus. Et eodem modo dicit non esse providentiæ assignanda, quæ sunt in nostra potestate: quo pacto dixit Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 9. Deum non esse *datores voluntatum*, hoc est, non prædeterminare voluntates ad actus liberos. Unde etiam de spirit. & litter. cap. 31. *Legimus, inquit, Non est potestas, nisi à Deo. Non autem legimus: Non est voluntas, nisi à Deo. Et rectè non scriptum est, quia verum non est.* Propterea verò asserit Augustinus, non esse omnem voluntatem à Deo; quia licet ad omnes voluntatis actus efficienter concurrat, ad eos tamen, qui liberi sunt, non determinat voluntatem. Sed Prosper cap. illo 30. libri primi supra citati: *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt; at non item ea prædefinit: neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert.*

Rom. 13.
Non est potestas, nisi à Deo: verum.
Sed nõ est voluntas, nisi à Deo: falsum.

Prosper.

10
Oecumen.

Oecumenius in Epist. 2. ad Timoth. quærit, si Deus vult, quare non fit, quod vult? Respondet, *Non fit, quia illi nolunt: nihil enim ex necessitate facit in nobis Deus.* Videri etiam potest ad Roman. 8. 9. 11.

Anselmus.

Anselmus in lib. de Concord. prædestin. & liber. arbitr. cap. 1. *Neque aliquid, inquit, facit vis necessitatis, ubi operatur electio sola voluntatis.* Et in cap. 6. Matth. ad illa verba: *Fiat voluntas tua:* ait, voluntatem diuinam non cogere

Matth 6.

huma

humanam, quia semper illam relinquit cum potestate resistendi.

Præter hos Patres videri possunt Gregorius Nazianzenus in 2. Orat. de Paschate, & in Orat. de Natiuitate Domini. Epiphanius hæref. 5. & 16. Euodius apud Turrianum lib. 4. contra Magdeburgenses, cap. 2. Theodoretus lib. 5. diuinorum decretorum cap. de Prouidentia. Fulgentius lib. 1. & 2. ad Monimum. Bernardus in Opusculo de gratia, & liber. arbitr. Richardus de S. Victore, tractatu 1. de statu interioris hominis, part. 1. cap. 14. & multi alij.

Ideò verò hos putauì tam prolixè, & forsitan molestè referendos, adiecto etiam ordine temporis, quo floruerunt, vt planum sit, hanc de libertate humanorum actuum sententiam semper in Ecclesia viguisse, neque ab eius præceribus quidquam vnquam traditum, aut admissum fuisse, quod aliqua ex parte voluntatis indifferentiam infringere, aut lædere videretur. Sicut autem prædicti Patres voluntatis libertatem in omnibus humanis actionibus tam liberè professi, & tutati sunt; ita consequenter videntur physicam negasse prædeterminationem, quæ cum illi prorsus repugnet, ab iis tantùm concedi potest, qui eius vim, & naturam non percipiunt.

Omitto alia, quibus posset palàm fieri, prædictam determinationem communi Patrum doctrinæ aduersari. Illud non est omitten-

dum,

Nazianzen.
Epiphanius.
Euodius.

Theodoret.

Fulgentius.
Bernardus.

Richardus.
Victorius.

II

*Firmã apud
Patres sæper
fuisse senten-
tiam de liber-
tate humano-
rum actuum.*

*Physicam præ-
determinationem
negatam
à Patribus.*

m 114

*Antecedens
suppositio li-
bertati re-
pugnat.*

dum, quod ea determinatione posita absqu^e dubio crederent tolli humanorum actuum libertatem. Propterea enim dixerunt, eum simplicem intuitum, quo Deus ab æterno futuros euentus præuidit, secundum ordinem rationis esse iisdem euentibus, quatenus futuris, posteriorem; quia existimarunt non posse priorem esse, quin libertatem destrueret: antecedens enim suppositio infert simpliciter necessitatem, & repugnat libertati. Nam si propterea asseruerunt, Deum ex æternitate præuidisse actus futuros liberi arbitrij, quia ipsi erant futuri; non verò contrà, propterea illos esse futuros, quia sunt à Deo præuisi; quoniam non intellexerunt, quonam modo consistere posset libertas, si ideò essent futuri, quia Deus illos futuros præsciuit: eodem prorsus modo, si putarent ideò creatas voluntates esse operaturas, quia erant à Deo in tempore determinandæ, crederent profectò tolli omnem indifferentiam, & libertatem actuum humanorum, quia talis determinatio esset suppositio, siue necessitas antecedens. Cùm autem verè, & Catholicè de libero arbitrio senserint, nec putauerint vllam voluntati inferri necessitatem, ne in actibus quidem supernaturalibus, quibus ad iustificationis gratiam, vel eius incrementum disponimur: necesse est fateri, ex eorum sententia destrui actuum libertatem per physicam determinationem.

Quòd

Quòd autem communis sensus Patrum fuerit, propterea futuros euentus à Deo fuisse præcognitos, quia erant futuri; non autem ideò futuros, quia fuerunt præcogniti: legentibus Patrum libros adeò obuium est, vt si qui Scholastici aliter scribant, faciliùs credam eos rixari velle, quam rem ignorare; nisi fortè tam sunt insipientes, vt non solùm esse, sed & videri velint.

Legat tamen, qui volet, Iustinum, quæst. 58. ex iis, quas Gentiles proposuerunt Christianis. Origenem in cap. 8. ad Romanos, lib. 7. ad illud: *Quos autem prædestinauit*, &c. & lib. 2. contra Celsum. Chrysostomum Homil. 60. in Matthæum. Hieronymum in 2. cap. Ezechielis. & in 26. Hieremiæ. & dialogo 3. contra Pelagian. Cyrillum Alexandrinum lib. 9. in Ioannem, cap. 10. Damascenum in dialogo contra Manichæos, prope finem. Bedam tom. 8. quæst. 13. ex variis. Boëtium 5. de consolat. prosa 3. 4. & 6. Hugonem de S. Victore lib. 1. de Sacrament. part. 2. cap. 16. 17. 18. & 22. Quibus addi possunt Magister sententiar. lib. 1. dist. 38. Alexander Alensis 1. part. quæst. 32. membr. 3. Et cæteri ferè Scholastici, partim distinctione citata, partim locis aliis.

Neque verò aut Augustinus, aut Gregorius Magnus, aut D. Thomas, aut Patres alij, qui pro contraria sententia malè à quibusdam referri solent, à cæteris Patribus dissident.

Augusti

13
Patres asse-
runt Deum
præscire euen-
tus futuros,
quia futuri
erant.

Iustinus.

Origenes.

Chrysost.

Hieronymi.

Cyillus
Alexandrin
Damalceus.


Beda.

Boëtius.

Hugo Victo-
rius.

Magister.
Alensis.

Augustinus.
Gregorius
Magnus.
D. Thomas.



Augustinus.

Gregorius
Romanus.

D. Thomas.

*Quid velint
citati Patres,
dum aiunt,
Deum effice-
re res futu-
ras, quia illas
nouit.*

Augustinus enim lib. 6. de Trinit. cap. 10. & lib. 15. cap. 13. & 5. de Ciuit. Dei, cap. 9. Gregorius 20. lib. Moral. cap. 24. D. Thomas 1. part. quæst. 54. art. 8. ad primum. & art. 13. ad primum. non dicunt ideò res esse futuras, quia Deus futuras esse prænouit; sed efficere res futuras, quia illas nouit. Volunt igitur, Deum non accipere cognitionem suam à rebus, sed ex se habere perfectissimam scientiam earum rerum, quæ sunt in tempore futuræ; quod verissimum est, & nemo negat. Cùm enim dicimus, secundùm ordinem rationis, priùs rem esse futuram, quàm à Deo futura prænoscat: neque loquimur de scientia practica, quæ dicitur esse causa rerum, & versatur circa possibilia; sed de speculatiua, quæ dicitur scientia visionis, siue intuitiua rerum futurarum: neque affirmamus, Deum emendicare à futuris rebus intuitiuam earum notitiam, sed ordine rationis priùs intelligi res esse futuras, quàm intelligatur Deus illas futuras videre, alioquin videret futurum, quod in eo signo nondum concipitur futurum.

*Scientia vi-
sionis in Deo
non est causa
rerum futu-
rarum.*

Quòd autem huiusmodi Dei cognitio non sit causa rerum futurarum, patet, quia sicut non propterea sedet Socrates, quia ego ipsum sedere video; ita non propterea est peccaturus, quia Deus præsciuit ipsum peccaturum, quasi Dei præscientia fuerit vera causa, cur in peccatum sit lapsurus. At de aliis euentis

eadem

eadem est, quæ de peccato ratio, neque opere pretium est rem apertam, & à bonis Theologis confessam disputationi subicere.

Quid D. Thom. & alij Scholastici doctores de hac physica determinatione senserint.

P A R S S E P T I M A .

Accedamus ad Scholasticos, & initium sit à D. Thoma, quem affirmo nostram de physica prædeterminatione sententiam habuisse. Primò, quia respectu liberæ voluntatis numquam illius meminit. Si quis est, qui repugnet, proferat in medium aliquod eius testimonium huic affirmationi contrarium; aut ostendat quo loco id queat reperi-ri; at hoc non exiguum est pro nostra sententia argumentum; quod enim D. Thomas in aliqua materia sensit, id egregiè explicavit. Nec verò determinandi verbum tanto philosopho, & Theologo potuit esse ignotum; nec sanè fuit, cum alibi illud vsurparit, ut infra patebit.

Secundò, quia in materia de concursu Dei cum causis secundis ad actus earum liberos, siue naturales, siue supernaturales, numquam vsus fuit vlllo modo loquendi, quo physicam illam determinationem indicaret: ergo non existimavit illam esse possibilem,

I
D. Tho.
Stare pro nostra sententia
D. Tho. ostēditur.

absque læsione libertatis. Antecedens patebit adductis, & explicatis quibusdam eius locis, quibus aduersæ partis auctores abutuntur ad suam sententiam confirmandam.

2

In 1. part. quæst. 105. art. 1. ad 3. ait causas secundas habere à Deo, quod ad determinatos effectus determinentur; art. 4. in fine corporis dicit, proprium esse Dei mouere voluntatem interius eam inclinando; in solutionibus argumentorum ait, ex eo, quod voluntas à Deo moueatur, non cogi, sicut non cogitur lapis, cum mouetur à suo generante; art. 5. in corp. dicit, primum agens mouere secundum ad agendum, & secundum hoc omnia agere in virtute Dei; rursum dicit, Deum mouere non solum res ad operandum, quasi applicando formas, & virtutes rerum ad operationem, sicut artifex applicat securum ad scindendum, sed etiam dare formam creaturis agentibus; & in solutione tertij ait, Deum applicare formas ad agendum.

In 1. 2. quæst. 6. art. 1. ad 3. ait, Deum mouere hominem ratione voluntatis, quia mouet ipsam voluntatem; quæst. 9. art. 6. ad 3. dicit, Deum mouere hominis voluntatem ut motorem utilem ad utile bonum, & in fine eiusdem responsionis ita scribit, sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his, quos mouet per gratiam; quæst. 109. artic. 1. 2. & 3. sæpè repetit non posse voluntatem moueri nisi motam à Deo, & indigere auxilio Dei mouentis, ut agat.

In quæst. 3. de potentia artic. 7. in corpore dicit, *naturam inferiorem agentem non agere nisi motam*; & comparat Deum quando applicat secundas causas ad operandum cum homine applicante cultellum ad scissionem, quæ applicatio consistit in eo, quòd prius cultellus ipse ab homine moueatur, & prædetermine- tur ad scindendum. Huius generis alia sunt apud D. Thomam, quorum eadem est vis, & propterea illa omitto. Quæ à quibusdam eius iunioribus discipulis referuntur, adedò à re proposita sunt aliena, vt pudeat illa huc transcribere, aut vllam habere rationem eorum; qui illa referunt.

Inficiamur igitur ex propositis loquendi formis physicam determinationem aptè colligi posse. Ad duos modos cæteri reducuntur. Primus est, *Causa secunda non mouet nisi mota prius à Deo*. Secundus, *Deus causas secundas applicat ad agendum*. At ex his modis nihil potest colligi peculiare, quo ex sententia D. Thom. asseratur physica voluntatis determinatio; Tum quia loquitur generaliter de omnibus causis secundis, quo ad omnes earum operationes, non autem de solis liberis, quo ad actus supernaturales; quemadmodum verò Diuus Thomas non credidit, Deum mouere prauas voluntates ad actus prauos physicè illas determinando; ita putandum est non credidisse sic illas mouere ad actus bonos ordinis

3

4

Diluuntur ea que ex D. Thom. asserunt aduersa partis assertores.

Deus non mouet voluntates humanas ad actus malos.

m 117

Quia Deus concurrendo cū causis secundis influit in earum effectus, ideo rectè dicitur illas mouere & applicare ad agendum.

Deus interdum dicitur applicare causas secundas ad agendum, quia illis confert naturales propensiones ad obiecta.

naturalis, vel supernaturalis, vt physicè easdē prædeterminet. Tum quia hæc motio & applicatio facilè potest intelligi absque physica determinatione: nam interdum rectè Deus dicitur mouere, & applicare causas secundas ad agendum, quia concurrēs cum illis influit in earum actiones & effectus; quo pacto intelligendum est id, quod D. Thom. de hac motione, & applicatione dicit in 1. p. q. 105. art. 5, vbi proponens modos, quibus prima causa ad effectus secundarum concurrat, non fecit verbis aliis mentionem huius actualis concursus, cuius debuit meminisse; nec potuit eo loco, aut ignorare hunc modum concurrendi, aut illum præterire. Quare secundum talē motionis, & applicationis modum tunc dicitur Deus secundam causam ad agendum applicare, quando cum illa operatur.

Interdum verò ideo Deus dicitur applicare, & mouere causas secundas ad agendum, quia confert illis naturales propensiones & facultates, per quas ipsæ causæ in sua obiecta, & fines tendunt operando. Hac ratione dicitur tanquam utilis motor voluntatem mouere, & applicare ad bonum, quia est auctor eius inclinationis, qua voluntas fertur in bonum. Quæ explicatio optimè colligitur ex illo exemplo, quo art. 4. ad primum ostendit, qua ratione voluntas mota à Deo non dicatur cogi, sicut non cogitur graue cum mouetur deorsum à generante; ideo graue dicitur à ge-

nerante

nerante moueri, vt philosophi cum Aristotele sentiunt, quia accepit ab eo virtutem, & propriam inclinationem, per quam deorsum mouetur, nō quod actu ad ipsum motum recipiat à suo generante aliquem impulsū.

Tertiò, quod D. Thom. non putauerit, volūtatem physicè à Deo determinari ad agendum, cum liberè agit, probatur, tum ex quæstione illa 9.1.2. art. 6. ad 3. vbi cū dixisset *Deum vt vtilem motorem mouere voluntatem ad bonum*, addidit: *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud*. Vnde motio Dei respectu voluntatis in sententia D. Thomæ est aliquid diuersum ab eius determinatione. Idem ferè repetit q. 10. art. 4. in corpore his verbis; *Sic Deus ipsam mouet*, nempe voluntatem, *quod non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens*. In q. 3. de potent. art. 7. ad 13. sic ait: *Ad 13. dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntatem, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam; & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. In 2. lib. sent. d. 25. q. 1. ad 3. ait, *Deum operari in omnibus, in vnoquoque secundum eius conditionem; & post alia, determinatio, inquit, actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur; vnde remanet sibi dominium sui actus*; quæ postrema verba diligenter notanda sunt, quia illis apertè declarat

Graue cur dicitur à generante moueri.

5
Voluntatem determinari physicè ad agendū, cum liberè agit, nusquā existimauit D. Thom.

Cur volūtas sui actus dominium habere dicatur.

Nota, ingenuè fateri. D. Thomam dominium actus non posse stare cum determinatione à principio extrinseco.

D. Thomas non posse stare libertatem, & dominium actus, cum determinatione à principio extrinseco. Itaque sæpissimè D. Thomas ait, *Deum tanquam primam causam mouere, & applicare causas secundas ad agendum*; sed motiuis, & applicationis nomine, vel intelligit actualem concursum ad actiones, & effectus earundem causarum; vel loquitur de motione per inclinationes naturales creatis agentibus inditas ad suas operationes exercendas, nisi loquatur in negotio salutis de motione præuia, quæ fit per gratiam excitantem, suadendo, alliciendo, inclinando, non verò prædeterminando. Et iuxta hos modos necesse est intelligatur in locis supra citatis ex 1. part. q. 105. & ex 1. 2. q. 109. & ex cæteris eius operibus.

Statuuntur veluti classes quatuor Theologorum contra physicam prædeterminationem sentientium.

6
PRæter D. Thom. de cuius sententia seorsim agere necesse fuit, quatuor adhuc Theologorum veluti classes statuendæ sunt. In prima erunt illi, qui propterea absolutas actuū liberorum prædefinitiones negarunt, quòd existimarent non posse cum illis coherere arbitrij libertatem. In secūda alij doctores extra scholam D. Thom. qui vel expressè

physi

physicam voluntatis prædeterminationem excludunt, vel non obscure indicant esse excludendam. In tertia discipuli D. Thomæ, qui nostræ sententiæ apertissimè fauent. In quarta, qui disputarunt contra hæreticos nostri temporis, & probarunt humanam libertatem propter diuinæ gratiæ efficaciam nihil lædi.

Ex primo ordine sunt Catharin. in opuscul. de præscientia, & prouid. Dei cap. vltim. Anton. de Corduba lib. 1. quæstionarij q. 55. dub. 10. Iulius Sirenus lib. 8. de fato à cap. 11. vsque ad 14. Hieronymus Oforius Algarbiensis Episcopus lib. 9. de iustitia in principio. Quibus addi possunt Armachanus lib. 12. de quæstionibus Armenorum, lib. etiam 16. & 17. multis capitibus, Francisc. de Carthagea in lib. de prædestinat. dicato Gregorio 13. & excuso Romæ anno 1581. Cosmas Philiarchus lib. de Prædest. Franciscus Turrianus opusculo de electione diuina, Petrus Aureolus Venetus ex familia Augustiniana in oppugnatione Lutheranarum assertionum, digressione 3. de præscientia, & lib. arbitr. Iauellus opuscul. de prædestin. ad finem 1. p. D. Thom. Xistus Senensis lib. 6. bibliot. annotatione 248. Ioan. Roa de prædest. q. 3. sect. 5. & alij in alio ordine referendi.

Ex secundo ordine sunt Alexand. Alenf. 1. p. q. 23. memb. 3. art. 4. & q. 24. memb. 5. & q. 26. memb. 4. art. 3. & memb. 7. art. 2. & q. 40. memb. 4. ad tertium. Bonauent. in 2. dist. 26.

7
Cathar.

Cordub.
Iul. Siren.
Oforius.

Armachanus.

Carthag.

Philiarch.
Turrian.
Aureolus
Venetus.

Iauellus.

Xist. Sen.
Ioan. Roa.

8
Alenf.

Bonau.

Gandau.
Ocham.
Marfil.
Ægid.
Gabr.

Adam.
Almain.
Angeſtus.
Dionyf.
Cifterc.
Andr. de Ca-
ſtro nouo.
Abulenſ.

Cordub.
Fonſeca.
Molin.

Soarez.

Vafquius.

9
Scotus non
tuetur volū-
tatis de er-
minationem.
Si Deus age-
ret ex neceſſi-
tate natura,
nihil poſſet
contingenter
euenire.

q.6. Henric. Gandauensis quodlib. 9. quæst. 5. quodlib. 11. q. 6. & quodlib. 12. q. 26. Ocham in 1. d. 38. quæst. 1. Marfil. d. 40. artic. 2. in 1. & 3. parte articuli, Ægid. Roman. in 2. d. 1. & in opusculo de prædestinat. & præscientia, Gabr. in 1. dist. 45. & in 2. d. 1. q. 2. artic. 2. & 3. & dist. 37. artic. 1. Adam in 3. dist. 14. q. 2. dub. 1. & q. 3. dubio 1. & 3. Almain. 1. moral. cap. 1. Angeſtus cap. etiam 1. suorum moralium, Dionysius Cisterciensis in 2. dist. 25. quæst. 2. artic. 2. Andreas de Castro nouo in 1. dist. 22. quæst. 2. ad 2. & qu. 5. & dist. 38. q. 1. ad 4. & 6. Abulenſ. in ca. 11. Ios. q. 76. & in ca. 18. Matth. q. 36. & in ca. 19. q. 175. Cordub. li. 1. quæst. q. 55. dub. 8. & 10. Petrus Fonſeca ad lib. 6. metaphysic. ca. 2. q. 5. sect. 10. Ludouic. Molin. in concord. ad quæst. 14. disp. 12. 34. 35. & alibi tum in eadem concord. tum in commentariis primæ partis vbi eadem repetit, Franciscus Soar. in opusculis de concursu, motione, & auxilio Dei tribus integris libris, Gabriel Vafquius in 1. part. tom. 1. disput. 88. & 99.

Nec verò dissentit Scotus, si rectè perpendatur. Nam licet in 1. d. 1. q. 1. d. 8. qu. 9. d. 38. q. vnica, d. 39. q. 3. & in 2. d. 1. q. 3. existimauerit, si Deus ageret ex necessitate naturæ, nihil posse contingenter euenire, eo nimirum motus fundamento, quòd secunda causa non moueat, nisi mota à prima; ex quo in eius doctrina videtur colligi, Deum voluntate sua causas secundas, atque adeo humanas volun-

tates ad agendum determinare, quo pacto illum interpretatur, & sequitur eius discipulus Bassol. in 1. distinct. 38. articul. 2. & distinct. 39. articulo etiam 2. tamen aliis in locis absolute tradidit voluntatem in liberis actionibus à se ipsa determinari, nam in 1. distinct. 8. c. 5. §. Ad argumenta pro opinione, sic scribit, *Et voluntas nostra est indeterminata hoc modo in determinatione virtutis actiue ad utrumlibet contradictorium; & ex se potest determinari ad hoc, vel illud. Itaque huius questionis, quare voluntas vult hoc, nulla est causa, nisi quia voluntas est voluntas; sicut huius, quare calor est calefactiuus, nulla est causa, nisi quia calor.* In 2. distinct. 37. qu. 1. §. Ad solutionem istorum, sic ait, *Sed propter defectum cause secunde, que in potestate sua habet concausare cause prime, vel non concausare, & si non concausat illi, ut tenetur, non est rectitudo in effectu communi amborum.* quo loco de causa libera loquitur, & aperte docet illam non prædeterminari à Deo quoad actus exercitium. Sed apertius idem tradidit in 4. distinct. 49. quæst. 6. §. *Dico ergo, vers. ad propositum, dicens, tolli voluntatis libertatem, si prius applicetur à Deo ad agendum, quam ipsa se determinet.* Quod verò ait *determinationem voluntatis diuinæ non tollere libertatem creatæ*, verum est de determinatione concomitante, quæ non est applicatio præuia, seu physica prædeterminatio, sed concursus Dei ad actum voluntatis, ut explicat Lichet. in 1. distinctione 37. nec alienus

Bassol.

Lichet.

Mayron.

10
 Capreolus.
Capreolus contra determinationem voluntatis ostenditur agere.

est Mayron. in 2. distinctione. 43. quæst. 4.

In tertio ordine numerari possunt ex Schola D. Thomæ permulti, qui nostræ sententiæ maximè fauent, in primis Capreolus in 1. dist. 38. quæst. 1. articulo 1. ad 2. contra quartam conclusionem, ubi conatur ostendere præmotionem causæ primæ in secundam non esse aliud, quam comitantem Dei concursum, in quo solum potest esse prioritas ordinis, quæ sicut non est realis, nec actus libertati officit, ita voluntatem non prædeterminat. Quod verò in 1. distinct. 25. quæst. 1. artic. 3. ad argumenta Henrici contra secundam conclusionem sentit *in primo actu voluntatis interuenire aliquam præmotionem Dei imprimens aliquid voluntati per modum actus primi*, satis declarat se existimare, voluntatem in actibus secundis, hoc est, quando liberè operatur, non habere huiusmodi præmotionem. Sed nullibi fauet expressiùs, quàm in 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. contra secundam conclusionem, ubi ex Gregorio refert duos modos, quibus Deus voluntatem nostram in operationibus iuuat; primus est efficiendo simul cum illa id ipsum, quod facit voluntas, secundus applicando, & promouendo voluntatē motione aliqua speciali, quem secundum modum dicit pertinere ad auxilia gratiæ.

Conrad.

Conrad. 1. 2. quæst. 80. articulo 1. ad 3. expressè dicit voluntatem se ipsam determinare ad bonum particulare per consilium ratio-

nis.

nis. Tandem Sot. lib. 1. de nat. & grat. cap. 16. aperte asserit Deum sua efficaci voluntate non inferre vim nostris, quod hæretici dicunt, sed ita moderari suum cum singulis causis concursum, ut quando cum libero homine concurrat, *non velit, inquit, fieri quidquam, nisi salva humana natura, & libera voluntate, que idcirco potest Deo resistere.*

Sotus.

Ex quarto ordine sunt Vvaldensis libr. 1. doctrin. fid. capit. 23. & sequent. Ioannes Roffensis martyr articul. 36. Ioannes Driedo de captiuitate, & redemptione generis humani, tractat. 4. capit. 2. & tractat. 5. capit. 4. Ruard. Taper. artic. 7. contra Luther. pagina 207. & 223. nec verò sibi est contrarius fol. 300. à medio, cum ait de Deo respectu voluntatis, *Ita suauiter inclinatur, & determinatur eam, ut ex iudicio, ac consilio, & sic liberè sequatur hanc Dei appropriat. nem.* Loquitur de inclinatione, & determinatione, quæ fit per suasionem, & non impedit quo minus voluntas ad suum actum physicè se determinet, aut non determinet, si velit; sic enim rem prosequitur, & Spiritus Christi suadendo, ut sequamur, simul voluntatem quasi naturaliter afficit placentia quadam rei suase, quæ est voluntati ratio se determinandi, principium, & seminarium bonarum volitionum, quas ex eo quasi semine producit. Itaque Spiritus Christi, hoc est, Deus per gratiã suadet, ut sequamur, & voluntas ex complacẽtia rei sibi propositæ per sanctã cogitationẽ ad actum se determi-

II
Vvaldens.
Roffens.
Driedo.
Ruard.

m 121

Payua.

Castro.

Turrian.
Costerus.

Bellarmin.

Valentia.

nat Iacob de Payua libr. 4. Orthodoxarum explicationum religiosos Societatis Iesu defendit à calumniis hæreticorum, præsertim Chemnitij dicentis Iesuitas esse Pelagianos, quòd physicam voluntatis prædeterminationem rejicerent. Alfonsus de Castro contra hæreses verb. Gratia, hæresi 1. & verb. Libertas, hæresi etiam 1. sæpe dicit situm esse in hominis potestate Deum trahentem sequi, aut ei resistere. Franciscus Turrianus libr. 4. contra Magdeburgens. capit. 2. Franciscus Costerus in Enchiridio controuersiarum capit. 5. de libero arbitrio, Robertus Bellarminus libro 1. de gratia, & libero arbitrio, capit. 12. vbi dicit oppositam sententiam nihil, aut parum differre ab errore Caluini, & Lutheranorum, & libr. 4. capit. 16. vbi exponit verba Diui Thomæ, quæ aduersarij pro sua opinione afferunt, & libro 6. capite 15. Gregorius de Valentia in 2. Commentario rerum Theologicarum disputatione 8. quæst. 3. de diuisione gratiæ, puncto 4. de gratia efficaci, quamuis in eo dissentiat, quòd putet ad rationem gratiæ efficaciæ pertinere habitum gratiæ iustificantis, & reliquos infusos, quatenus in genere causæ efficientis actum conuersionis antecedunt, quam sententiam iam suprâ reprobauimus.

12

Scio non deesse aliquos qui ea, quæ suprâ ex Patribus, & proximè ex Doctoribus Scholasticis adduximus, conentur eludere, & ad suam aptare opinionem, quasi eo modo pos-

sint

sint legētibus imponere. Ego rixari non amo; sed illud tantum in memoriam reuocandum puto, quod alibi non semel animaduerti, eos omnes auctores, qui voluntatem nostram in operibus pietatis, & ad iustificationem pertinentibus liberam, & indifferentem ad operandum, & non operandum relinquunt, necessariò nobiscum sentire, nostraque esse in classe; quia nullo modo concipi potest, quod quis causam aliquam ad agendum physicè prædeterminet, & nihilominus ipsam ad agendum, & non agendum indifferentem relinquat; qui aliter sentit, necesse est alterum ex duobus non percipiat, aut quid indifferentia, & libertas sit, aut quid sit physica prædeterminatio.

Itaque dicant Patres, & Scholastici Doctores diuinam gratiam esse efficacem. Dicant Deum efficaciter præmouere, & applicare voluntates nostras ad agendum, operarique in nobis velle, & perficere. Dicant non illum à nobis, sed nos ab illo eligi, illique tribuendum bonum vsum voluntatis in sanctis actionibus. Dicant ante dispositionem ad gratiam iustificationis, præcedere in homine gratiam vocationis, liberumque arbitrium infirmum esse, nec posse quidquam, quo se ad iustitiam disponat, nisi excitante, & adiuuante Deo. Dicant omnia cadere sub diuinam prouidentiam, & nihil esse, quod eam subterfugiat, iustificationisque initium à Deo esse per auxi-

lium

Nobiscum sentiunt qui voluntatem nostram in operibus ad iustificationem pertinentibus indifferentem relinquunt.

13
*Præclara bu-
ius par. 15 cō-
clusio.*

14
*Quam sint
 alieni ab hæ-
 resi, qui cum
 Auctore sen-
 tiunt.*

lium gratiæ præuenientis. Dicant denique huius generis sexcenta. Quis est, qui ea neget, aut falso dici affirmet? Nos eadem dicimus, & confitemur, & cum iisdem Patribus sentimus, & prædicamus. Vbi aliquis ex iis, qui nobiscum sentiunt, asseruit non esse necessariam gratiam Dei vocantis, & adiuuantis ad opera iustificationis, siue ad actus supernaturales? Vbi negamus velle hominem id, quod Deus absolute vult illum velle? Vbi asserimus posse hominem propriis viribus ad gratiam se præparare, aut per opera naturalia, quæ absque speciali Dei auxilio facit, mereri posse gratiam vocationis? Vbi est in nostris assertis Pelagianismus vllus, aut vllus Massiliensium error?

*Quid in hac
 materia ne-
 gandum sit.*

Quod negamus illud est, voluntates nostras physicè a Deo prædeterminari, & ita applicari ad agendum, vt posito auxilio præueniente, non sit in nostra potestate non operari. Negamus gratiam vocationis suapte entitate, seu quod idem est, in genere rei acceptam esse efficacem, hoc est, talem, vt ea posita necesse sit voluntatem consentire. Negamus vllum ex Patribus, aut ex antiquis Scholasticis asserere physicam illam prædeterminationem, aut necessariam esse ad ordinem diuinæ prouidentiae, & infallibilitatem prædestinationis, aut stare posse cum arbitrij indifferentia, & libertate. Negamus gratiam vocationis quo ad suam intrinsecam substantiam posse esse efficacem, & nihilominus vo-

luntatem

luntatem humanam ea posita liberè operari. Hæc negamus iuxta sanam doctrinam de libertate arbitrij in Scriptura, in Conciliis, & in Patribus contentam. Sed iam de ipsa efficacia differamus.



DISPUTATIO

TERTIA.

DE EFFICACIA GRATIAE.

*Qua de re in hac parte
agendum sit.*



NON est in hac disputatione differendum de gratia efficaci, ut gratia est; iam enim statuimus hoc modo spectatam non esse aliud, quàm vocationē, seu gratiam excitantem, & præuenientem. Quæstio igitur erit de ipsa efficacia, quæ cum nõ consistat in physica voluntatis prædeterminatione, dubium relinquitur, quanam alia in re constituenda sit. Occurrunt autem plures dicendi modi, quos expedire oportet: sed prius aduertendum non sumi hoc loco efficaciam

pro

*Efficaciã non
sumi hoc loco
pro facultate
efficiendi.*

*Quæ sit gra-
tia efficax de
qua hic agi-
tur.*

pro sola virtute, & facultate efficiendi; hoc enim modo gratia sufficiens dici quoque efficax potest, quia suapte vi est effectiua consensus, si liberum illi arbitrium velit cooperari; quemadmodum potio, quæ suapte vi potest ægro sanitatem conciliare, quamvis ab illo respuatur, & effectum careat, nihilominus efficax dicitur. Gratia igitur efficax, de qua hic loquimur, & quæ solet contra sufficientem diuidi, coniuncta est cum ipso actu, quem efficit, quia infallibiliter illum producit simul cum voluntate hominis vocati; qua igitur in re eius efficacia consistat, hoc inquirimus.

Virum efficacia gratiæ posita sit in morali voluntatis determinatione.

P A R S P R I M A.

I

Opinabitur aliquis ex eo dici vocationem efficacem, quia suapte natura talis est, ut vocati hominis voluntatem ad actum conversionis moraliter determinet; ex quo non ineptè colligat in hac morali determinatione sitam esse efficaciam.

*Probatur hæc
sententia au-
thoritate &
rationibus.
Primò.
Augustinus.*

Potest hæc sententia tripliciter probari. Primò, quia gratia efficax re ipsa voluntatem ad consensum determinat, non quidem physicè, ut probatum est; ergo moraliter per modum suadentis, & exhortantis. Quod tetigit Augustinus de spiritu, & littera, capit. 34. dicens,

Visorum

Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, siue extrinsecus per Evangelicas exhortationes, &c. Siue intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. Quæ verba moralem determinationem apertè indicant: nam qui suaserit Titio nihil tale cogitanti, ut Sempronium interficiat, suadendoque id perfecerit, non tantum potest dici moralis causa homicidij, verum etiam causa moraliter determinans, & impellens Titium ad cædem faciendam.

Secundò, ex diuinis testimoniis: Esai. 55. ait Deus: *Verbum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quacumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Ioann. 6. ait Christus Dominus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et rursus: Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quibus verbis non est dubium, quin de gratia efficaci sermo sit: ea enim intelligitur per *tractum, & doctrinam Patris.* Dicitur autem trahi, & discere, qui ita ad Christum per Fidem, aut pœnitentiam vocatur, ut vocationi consentiat: at enim qui hoc modo trahitur, vel discit, ab ipso quidem tractu, vel doctrina videtur moraliter determinari, ut veniat. Quin etiam ad eò hæc determinatio videtur infallibilis, & certa, ut non contingat, aliquem trahi, vel doceri à Patre, quin ad Christum veniat, ut ponderat Augustinus de prædestin. Sanctor. cap. 8. *Quid est,*

3
Secundò.
Esai. 55.

Ioann. 6.

Augustinus.

inquit, *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me: nisi, Nullus est, qui audiat, & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit; profectò omnis, qui non venit, non audiuit à Patre, nec didicit: nam si uadisset, & didicisset, veniret. Et infra: Hæc gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; idèò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.*

⁴
Tertiò ex
Augustino,
& Prospero.

Augustinus.

Prosper.
aliàs 27.

Tertiò, ex doctrina eiusdem Augustini, & Prosperi, qui duo Patres ita de gratia efficaci loquuntur, ut apertè indicent non posse illam ab homine vocato repudiari, ac proinde videntur eius efficaciam constituere in aliqua voluntatis determinatione, quæ cum non sit physica, erit moralis. In primis Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Subuentum est, inquit, infirmitati humana, ut diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & idèò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Et lib. 1. de gratia Christi, cap. 13. circa illud: Omnis, qui audiuit à Patre, &c. Hoc modo, inquit, quisquis discit, agit omnino quidquid agendum didicerit. Et cap. 14. Profectò qui non venit, nec didicit hoc docendi modo, quo per Spiritus gratiam ita docet Deus, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendòque perficiat. Deinde Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. ait, fidem in Christum ex Patris haberi munere, qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut*

crede

crederent; hoc effecit, ut vellent: non enim esset, unde traherentur, si sequaces fide, & voluntate non essent; quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt. In lib. Sententiar. in 310. ostendens plus esse agi, quam regi, ait: Qui enim regitur, aliquid agit; & ideo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, aliquid ipse agere vix intelligitur; & tamen tantum prestat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. His autem, & superioribus verbis non obscure indicat Prosper, cum homo efficaci vocatione excitatur, ita trahi, agique à Deo, ut saltem moraliter ad consensum determinetur, nec in eius potestate sit dissentire, iuxta illud, quod dixit D. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. Si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moueatur. Et quæst. 112. art. 3. in corpore: Preparatio potest considerari secundum quod est à Deo mouente; & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest.

Roman. 8.

D. Thomas

*Obseruantur quedam pro resolutione
difficultatis.*

Obseruandum est primò, moralem determinationem hoc differre à physica, quòd illa in homine moraliter ad aliquid determinato relinquit veram, & realem po-

⁵
Moralis de
terminatio in
quo differat
à physica.

tentiam ad oppositum; ac proinde qui hoc modo determinatur, potest simpliciter determinationi resistere: at determinatio physica ad aliquem actum, vel obiectum, stare nequit cum potentia ad oppositum; quod patet in voluntate, quæ cum sit ex sua natura generaliter ad bonum determinata, non potest vlllo modo ferri in malum, quatenus malum; item quia lapis per suam grauitatem determinatus est ad descensum, fieri nequit, vt in sublimi positus, & absque vlllo extrinseco impedimento sibi relictus non descendat.

6
*Vocatio effi-
 cax duplici-
 ter intelli-
 potest volun-
 tatem mora-
 liter deter-
 minare.*

Obseruandum secundò, dupliciter intelligi posse, quòd vocatio efficax voluntatem moraliter determinet. Vno modo, quia re ipsa illi voluntas consentit, quamuis pro suo arbitratu possit absolutè non consentire. Altero, quia ex se talis, ac tam vehemens est, vt ei certò, & infallibiliter voluntas consentiat, nec sit moraliter possibile non consentire. Vtroque enim modo concipere possumus, fieri hanc moralem determinationem; quia non solùm dicitur aliquem moraliter determinasse ad aliquod peccatum, qui vehementer vrgendo, & importunè suadendo, illum traxit ad peccatum; sed etiam qui blanditiis, & leuibus suasionibus ad peccatum aliquem induxit, quamuis facile peccanti foret resistere blandienti, ac suadenti. Quòd enim hoc etiam posteriori modo dicatur vnus causaliter alterum determinare, inde patet, quia effectiua

deter

determinatio consistit propriè in eo, quòd determinans applicet determinatum ad aliquid, ad quod illud erat indifferens. Si quis ergo precibus, vel suasionibus ita alium ad efficiendum aliquid applicat, vt quod petit, vel suadet, ab illo obtineat, dicetur ipsum determinare, non quidem physicè, vt suprà explicauì, sed moraliter tantùm. Atque hoc secundo modo non dubium est, quin gratia efficax consentientem moraliter determinet, quia sic illi pœnitentiam suadet, vt re ipsa persuadeat. Si cui videatur abstinendum hïc esse à verbo *Determinare*, quod necessitatem aliquam suapte vi importet, potiùsque vtendum verbo *Promouere*, nihil repugno: id enim ad modum loquendi pertinet.

Solùm igitur agam de priori determinatione, de qua tria se offerunt explicanda. Primum est: An in ea poni debeat gratiæ efficacia. Secundum: An sit ad conuersionem necessaria. Tertium: An cum illa stare possit voluntatis libertas.

Efficacia gratiæ non est posita in determinatione morali, & contrariis argumentis respondetur.

Quod attinet ad primum, dico non esse constituendam in tali determinatione gratiæ efficaciam. Probatur facilè, quia alioquin ea tantùm motio esset efficax, qua Deus

Effectiua determinatio in quo consistat.

Quo pacto gratia efficax cõsentientem moraliter determinet, seu promoueat.

De quibus agendum.

⁷
Gratia efficaciam non esse constituendam in tali determinatione, ostenditur.

m. 226

maximè vrgeret, & vehementer moueret peccatorem; quod falsum est: quoniam sæpe erigitur peccator à Deo præuentus motione quadam, in genere rei leui, & exigua, licèt in genere gratiæ, & beneficij magna, quæ cum sit efficax, non tamen determinat moraliter voluntatem in sensu explicato, siquidem non ita illam inclinat ad actum, nec ita ex se vrget, vt sit moraliter impossibile illi resistere.

*Præfatam
determinationem
non esse
necessariam
ad conuersio-
nem probatur.*

Quod attinet ad secundum, dico, moralem illam determinationem non esse necessariam ad conuersionem. Probatum etiam facile, tum quia leui sæpe monitione conuertitur peccator, vt dixi: tum quia nulla gratia sufficeret ad conuersionem, nisi quæ haberet vim determinandi moraliter voluntatem; atque adeò qui non conuertitur, non esset sufficienter vocatus, quia non haberet gratiam moraliter determinantem; & similiter non peccaret, qui supernaturale præceptum non impleret. Tum quia deesset Deus homini in necessariis, nisi talem motionem illi conferret, quæ ipsum ad consentiendum moraliter determinaret. Tum demùm quia voluntas cum auxilio gratiæ sufficientis est indifferens ad eliciendum, & non eliciendum actum contritionis, & suapte natura potest ad illum se liberè determinare, quia non est aliunde impedita: ergo non est illi ad hoc necessaria tam fortis, ac tam vehemens motio, vt ab ea moraliter determinetur.

Quod attinet ad tertium, dico, cum morali

deter

determinatione stare posse voluntatis libertatem. Suppono hinc, posse à Deo conferri alicui motionem tam vehementem, & efficacem, vt eius voluntatem moraliter determinet: hoc enim nullam inuoluit repugnantiam; nam & dæmonis tentatio tam fortis esse potest, vt deficiente diuino adiutorio ad resistendum, tentatus moraliter debeat succumbere, at Deus dæmone est potentior; & ita vnumquemque, omnesque eius affectus, & naturales inclinationes comprehendit, ita quoque nouit modos omnes, quibus quiuus possit ad consensum inclinari, vt difficile ipsi non sit, talem gratiam conferre, qua voluntas moraliter determinetur. Quod verò cum hac morali determinatione cohæreat libertas, ex ipsa eius ratione perspicuum est. Nam propterea dicitur moralis, quia gratia ipsa determinans nulla physica causalitate ligat voluntatem, aut naturalem eius indifferentiam impedit, sed relinquit illi potentiam ad opposita. Ex quo etiam sequitur, vt in sensu composito verum sit, voluntatem liberè consentire, quando illi cooperatur, & posse absolute dissentire. Confirmatur, quia ea gratia, quæ sic efficax est, vt habeat vim moraliter determinandi, nihil est aliud, quàm illustratio, vel inspiratio, vel vtrumque simul; at in his motibus non potest esse tanta vis, vt omnino libertatem tollat, quamuis aliquo modo illam coarctet.

*Cum morali
determinatione
posse stare
voluntatis li-
bertatem sua
detur.*

m. d. 4

9
Obiectio.

Ioann. 5.

Ioann. 12.

Esaï. 6.

I
Occurritur
obiectio.

Affectiones
prauæ fidei,
& conuersio-
nē impediūt.
Gregorius
Nyssenus.

Dicet aliquis, auaritiæ, & ambitionis affectum, aliâsque prauas animi passiones adeò esse posse vehementes, & efficaces, vt tollant libertatem ad credendum; quod videtur contigisse Iudæis, quibus dixit Christus Dominus Ioann. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* Et de quibus idem Euangelista cap. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaïas: Excacauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, &c.* Cuius generis sunt alia in Litteris diuinis, ex quibus colligi videtur ob vehemētiam passionum adimi voluntati potestatem ad resistendum, & bene agendum: pari igitur ratione tanta esse poterit vis, & efficacia vocationis, vt libertatem impediat.

Respondeo, nunquam vocationis gratiam tam vehementem esse posse, vt absolutè, & simpliciter tollat libertatem; quod etiam de passionis efficacia dicendum est: alioquin nec in priori euentu vllum esset meritum bene operando, nec in posteriori vllum peccatum male faciendo: constat verò peccasse Iudæos non credendo, & D. Paulum, aliôsque sanctissimos viros, qui vehementissima vocatione fuerunt excitati, libero, laudabilique consensu vocanti Deo respondisse. Quare affectiones prauæ fidei, & conuersionem impediunt, quod his verbis in tertia Oratione de Resurrectione testatur Gregorius Nyssenus: *Qui sibi conscij sunt turpissimarū, & fœdissimarum*

actionum,

actionum, quibus graues pœnas meriti sunt, odio iudicij tollunt resurrectionem, & pro eo, quod cupiunt, & optant, varias cogitationes sibi fingunt. At isti affectus non ita ad malum determinant voluntatem, neque ita ipsi redditur impossibile fidem, & pœnitentiam amplecti, vt culpa careat non amplectendo. Rectè enim Cyrillus Alexandrinus ad duodecimum caput Ioannis citatum, *Sed quare, inquit, non poterant credere? adhibenda est responsio, quia nolebant: sicut enim quod Deus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis diuinæ; ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanae. Quamuis ergo dictum sit, non poterant credere, ideo tamen non credebant, quia nolebant.*

Sed notandum est, impossibile multipliciter accipi solere. Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologia tradit sex modos, quibus aliquid dicitur nõ posse fieri. Hoc loco sufficit monere poni sæpissimè in Litteris diuinis, *Impossibile* pro valde difficili, quod dicitur moraliter impossibile: talis est sensus prioris testimonij ex Ioanne relati, *Quomodo vos potestis, &c.* nam qui sanctitatis, & doctrinæ nomen ab hominibus quærunt, maluntq; ab ipsis, quàm à Deo boni reputari, iis difficillimum est fidem amplecti. Sensus autem posterioris, *Non poterant credere, &c.* talis est, propter excoecationem, & duritiam cordis ab Esaia prædictam difficillimum illis erat in Christum credere. Ita explicant locum

Cy. illus
Alexandria.

II
*Impossibile
multipliciter
sumi posse.
Gregorius
Nazianz.
Sapissimè in
Litteris sacris
poni pro val-
de difficili.*

Chrysoft.
Leontius.
Theoph.
Euthym.
Theodor.
Heracl.

Chrysoft. Leontius, Theophyl. Euthym. Theodor. Heracleotes. Sed alij volunt particulam, *quia*, non importare in eo loco causam, sed consequentiam & euentum, vt alibi sæpè. Prior tamen sensus magis mihi probatur; nec ad rem præsentem quidquam refert, vter verior sit.

In sacra Scriptura interdum idem esse, id posse, quod nolle, & posse, quod velle.

Non est autem ignorandum in sacra Scriptura interdum idem esse *non posse*, quod *nolle*; & *posse* quod *velle*, indicata tamen non exigua rei difficultate; quo pacto intelligendum est illud Matth. 19. *Qui potest capere, capiat*, id est, qui vult capere, capiat, quamuis capere difficile sit; in què sensum interpretantur Nazianzenus & Cyrillus citantes illa ex Marc. 6. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere*, ex Ioan. 7. *Non potest mundus odisse vos*, & alia similia.

Nazianzen.
Cyrill.
Marc. 6.
Ioann. 7.

12
Occurritur argumentis initio propositis.
Ad primum.
Ad 1. & 3.

Quæ in principio obiecta sunt, ex dictis facile dissolui possunt. Nam in priori argumento sermo est de actuali concursu, & morali causalitate gratiæ præuenientis, non de morali determinatione, vt hoc loco de illa agimus. In secundo, & tertio ostenditur quidè efficacia gratiæ, sed non probatur consistere in illa morali determinatione: quin potius à nobis probatum est non posse in illa cõstitui.

Chrysoft.
August.

In primo testimonio ex Euangelio Ioannis desumpto nonnulla apparet difficultas. Manichæi, testibus Chrysoftom. hom. 45. in Ioan. & August. tract. 26. in eundem, illo utebantur ad negandam humani arbitrij libertatem

tem

tem. Sed ignorabant metaphoricam verbi significationem, in qua, licet denotetur eximia quædam virtus ad voluntatem inclinandam, non denotatur tamen vlla necessitas, aut prædeterminatio. Vnde Cyril. lib. 4. in Ioan. cap. 6. *Non vi quadam cogi, trahique credentes p-
tandum est, sed monitione, doctrina, reuelatione ineffabiliter facta.* Trahi igitur idem est, quod efficaciter vocari: venire autem est vocationi consentire.

Cyrill. Alex.

Tibi idē esse, quod efficaciter vocari.

13

In secundo testimonio dubium esse potest, sitne idem discere, & venire. Audire quidem à Patre quis dicitur, quando diuina motione excitatur: si ergo idem sit discere, quod cōsentire, idem quoque erit discere, & venire. Ita quidam explicant, alij aliter. Sed quouis modo verba exponantur, constat non posse ex illis probari, aut vllam moralem determinationem necessariam esse ad actum conuersionis, aut in tali determinatione consistere gratiæ efficaciam. Quapropter vltterius quærendum est, qua in re sita sit.

Utrum efficacia gratia in eo consistat, quòd à libero arbitrio acceptetur.

P A R S S E C V N D A.

SVnt qui putent gratiæ efficaciam constituendam esse in solo actu voluntatis consentientis; & illam gratiam dici efficacem,

Quid in re presentis ali. qui sentiant.

cui

*Prima ratio
pro hac opi-
nione.*

cui voluntas cooperatur, quia vult; illam inefficacem, cui eadem voluntas pro suo arbitratu non vult cooperari. Vnde secundum illos efficacia gratiæ à libero arbitrio pendet, quia illud est, quod eam reddit efficacem volendo consentire, seu liberè consentiendo, cum ex se gratia tantummodo habeat, quòd excitet hominem, & ad consensum inclinet. Atq; hoc est totum huius opinionis fundamētum. Nam cum gratia in se, & quoad suam substantiam considerata non habeat vllam vim physicè, vel moraliter prædeterminandi voluntatem, neque aliquid aliud, quo ipsam trahat ad consensum; sed talis naturæ sit, cui non repugnet effectui carere; sequitur planè ex eo sortiri efficaciam, quod à voluntate acceptetur.

Secunda ratio, quia nulla Dei vocatio est, quam non possit homo pro libito acceptare, vel reijcere. Concilium Arausicanū. Valent. Tolet. 4. Trident.

Potest hoc vltcrius ad hunc modum declarari. Nulla omninò est gratia præueniens, nullaque Dei vocatio, quam non possit homo pro libito acceptare, vel reijcere, vt patet ex Cõciliis Arausic. 2. canone vltimo, Valentino ca. 6. Tolet. 4. ca. 55. Tridentino sess. 6. cap. 5. & canone 4. & ex iis Scripturis, in quibus homines circa opera salutis dicuntur *Operarij, Edificatores, Plantatores*; in quibus item dicuntur à Deo vocati obedire, vel non obedire: non videtur igitur aliunde intelligi posse efficacia gratiæ, nisi ex parte liberi arbitrij: nam si ex parte Dei, vel ipsius gratiæ hæc efficacia intelligatur, quonam modo concipere possumus

hominem

hominem liberè acceptare, vel reiicere eam motionem, quæ vt effectum habeat, à libero arbitrio non pendet, sed in se continet quidquid necessarium est ad eliciendum voluntatis consensum?

Item auxilium sufficiens non alia ratione desinit esse efficax, nisi quia voluntas illi non cooperatur; si enim reuera est sufficiens, poterit illi cooperari voluntas, & hoc ipso fiet efficax; si verò cooperari nequeat, nõ poterit auxilium intelligi sufficiens. Quod hoc modo ampliùs declaro; vel diuina vocatio intelligitur efficax ante actũ, quo liberum arbitrium illi cooperatur; vel post hunc actum, seu potius per illũ: ex hoc secundo sequitur gratiam à libero arbitrio fieri efficacem, nec aliud esse eius efficaciam, quàm denominationem extrinsecã ab actu voluntatis consentientis. Ex primo sequitur non dari gratiam sufficientem ab efficaci distinctam; nam quæ non habet id, per quod ante actum voluntatis dicitur efficax, nullo modo potest habere effectũ, siquidem liberum arbitrium non illam efficit efficacem; & ex consequenti nõ est sufficiens, quia aliquid ei desideratur ante consensum, quod ad illum efficiendum requiritur.

Prætereà, qui non perseverat in gratia, vel habet sufficiens auxilium ad perseverandum, vel non habet: si non habet, non peccat, cum labitur in peccatum, siquidem absque speciali auxilio perseverare nõ potest, & in eo, quod

2
Tertia ratio, quia auxiliũ sufficiens non desinit esse efficax, nisi quia voluntas illi non cooperatur.

Quarta ratio.

vitare

m 130

In eo quod vitare nequit, nemo peccat.

3
Ultima ratio.

Conc. Trid.

Homo quando vocationi consentit vel non.

Driedo.

*Ruard.
Vualdens.*

vitare nequit, nemo peccat: si habet, potest illo pro suo arbitratu vti, atque adeò facere illud efficax, vnde quod gratia efficax, aut inefficax sit, à libero arbitrio videtur pendere.

Lenique consensus voluntatis, qui cum auxilio gratiæ producitur, est actus liber, ac proinde à libero arbitrio pendens: ergo ab eodem quoque pendet efficacia gratiæ. Antecedens est omnino in fide constitutū, sic enim definit Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. & canone 4. & ex diuinis Litteris apertissime constat, vt in superioribus sapius inculcauimus. Consequentia probatur, quia cum homo consentit vocationi, potest illi resistere, non solum in sensu diuiso, hoc est, absolute, & non habita ratione vocationis, sed etiam in composito, hoc est, posita iam ipsa vocatione, vt probatum à nobis est: nam si homo non consentit, cum non vocatur, non dicitur vocationi resistere; sed tunc verè, ac proprie resistit, cum vocatus non vult consentire vel suspendendo consensum, vel eliciendo dissensum. Cum ergo homo liberè consentiat vocationi, ac proinde possit non consentire, ipsi quidem tribuendum videtur, quòd vocatione efficaciam fortiatur.

Referuntur pro hac sententia Ioan. Driedo de concord. lib. arbitr. cap. 3. & lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 9. Ruard. Tap. art. 7. propositione 7. Vualdens. 1. doctrinal. fid. art. 1. cap. 21. & plures alij, qui tamen nihil expressè dicunt,

cunt, sed aliquid tantum indicant, nec dissident
re vera ab aliis, qui recte sentiunt. Eadem tri-
buitur Molinæ in concordia variis locis, præ-
sertim ad quæstionem 14. disp. 38. & ad q. 23.
disput. 1. memb. 6. vbi ait à libero arbitrio pen-
dere gratie efficaciam, eo quod in hominis potest
situm sit efficere efficax aut inefficax auxilium. sibi
à Deo collatum. Quidquid tamen sit de mente
huius auctoris, de qua paulò post dicam, aliter
videtur nobis hæc res definienda.

Molina.

*Efficacia gratie non est constituenda in
cooperatione liberi arbitrij.*

IN primis statuo efficaciam gratiæ non esse
ipsam liberi arbitrij cooperationem. Proba-
tur, quia efficacia intelligitur esse aliquid in
auxilio, seu ex parte ipsius, quod antecedit cõ-
sensum voluntatis; id enim non obscure in-
dicat August. appellans vocationem *altam, se-
cretam, secundum propositum, efficacissimam*; quod
nõ potest ex eo præcisè dici, quia liberum ar-
bitrium illi cooperatur; nam hoc modo illud
auxilium diceretur efficacius, cui voluntas in-
tensus cooperaretur, & illud minus efficax,
cui minus intensus. Quod si quis respondeat
illam vocationem appellari ab August. *effica-
cissimam*, quæ in genere rei, ac secundum se
vehementissima est, qualis illa fuit, qua præ-
uentus est Paulus, & de persecutore factus
Christi discipulus, hoc certè de vocatione al-
ta, & secreta respõdere non poterit, quia licet

⁴
Gratia effi-
cax non pen-
det à libere
voluntatis ar-
bitrio.

Augustin.

Actor. 9.

vocatio

vocatio non sit in sua entitate & substantia vehemens, si tamen eiusmodi est, ut homo illi cooperetur, id sufficit, ut alta & secreta ab Augustino dicta fuerit, & à nobis dicatur.

5
Secundò.

Prædestinatio non p̄det à præuiso bono usu liberi arbitrij.

Rom. 9.

Malach. 1.

6
Corroboratur hac opinio ex Scriptura, & ex August. Ioan. 6.

Deinde si à solo consensu voluntatis haberet vocatio efficaciam, non posset diuina prædestinatio esse certa, nisi præuiso prædestinatorum consensu; ex quo rursus non ineptè quispiam colligeret bonum usum liberi arbitrij ex gratia à Deo præuisum fuisse prædestinationis causam: at hoc falsum est, ut hic suppono: ergo, &c. Probatur maior propositio, quia ante præuisionem boni usus liberi arbitrij alicuius, non posset Deus æterno suo decreto illum ordinare per certa media in beatitudinem; cum enim efficacia mediorum ponatur à solo libero arbitrio prædestinati pendere, cumque fieri possit, ut talia media reddantur cassa, necesse est fateri, ipsam quoque prædestinationem incertam, ac fallibilem esse, quod dici non potest, & repugnat Apostolo ad Roman. 9. dicenti: *Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.*

Video hæc argumenta non ita conuincere, ut dissolui nequeant. Plus vrgent, quæ ex Scriptura, & ex Augustini doctrina desumuntur. Nam ex illo testimonio Ioan. 6. *Omnis, qui*

audiuit

audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Videtur aperte colligi, ad excellentiam Magistri tamquam ad causam, non ad studium discipuli referendam esse omnem vocationis efficaciam; quod etiam perspicue significauit Christus Dominus eodem loco afferens illud Esaia, *Erunt omnes docibiles Dei*, siue, vt habent Græca, *docti à Deo*; quibus verbis commendatur doctrina fidei ex eo, quod à Deo sit, quemadmodum dicitur beatus à Dauide, *quem Deus erudierit*, non qui multam operam in studio posuerit.

Illud quoque nonnullam vim habet ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*; vbi ad misericordiam Dei refertur, non tantum, quod quis præueniente gratia excitatus sit, verum etiam, quod ita sit efficaciter vocatus, vt consentiat. Item illud 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? &c.* Sanè qui gratiam efficeret efficacem, rectè diceretur se discernere, & habere aliquid non acceptum ex speciali dono gratiæ. Item ad Philippenses 1. dicitur, *Incipere in nobis opus bonum, & perficere*; dicitur donare, *vt non solum possimus in Christum credere, sed vt credamus.*: & cap. 2. dicitur, *operari in nobis, & velle, & perficere*, siue proficere, vt legunt alij. Cuius generis multa sunt, quæ planè indicant non tantum gratuitum auxilium, sed eius quoque efficaciam Deo esse tribuendam, non libero hominis arbitrio.

Esaï. 54.
Ἐροδοῦτος Ἰ.

Psal. 93.

7

Rom. 9.

1. Cor. 4.

Philip. 1.

Philip. 2.

Q

8
 Augustinus.
 Vocatio Dei
 efficax cur
 alta, & secre-
 ta dicatur.

Rom. II.

Grauius adhuc vrget Augustinus multis in locis. Sed illustria sunt illa duo testimonia, primum ex cap. 8. de prædestinatione Sancti. vbi dicit gratiam efficacem (de illa enim loquitur) à nullo duro corde respui. secundum ex libro de spiritu, & litter. cap. 34. vbi quærens cur Deus ita vni suadeat, vt persuadeat; alteri non ita, exclamat, O altitudo diuitiarum. Expendenda hæc sunt. Cur obsecro à nullo duro corde respuitur illa gratia, nisi quia alta, & secreta est, ac proinde, quia ante cooperationem liberi arbitrij efficax? nam si ante illam non esset efficax, non magis dici posset alta, & secreta, quàm quæcunque alia sufficiens, quæ potest à duro corde respui, & re ipsa respuitur. Rursum; quid opus est Augustino ad altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei confugere, cum sic vocantur duo, vt vnus vocationi consentiat, alter dissentiat, si à cooperatione liberi arbitrij pendet gratiæ efficacia? Si enim ab ea penderet, inde sufficienter reddi posset ratio dissimilitudinis in conuersione vnius, & perditione alterius, cessarétque subinde omnis admiratio, siquidem roganti, cur ita Deus vni suadeat, vt persuadeat, alteri non ita, aptè quis responderet, quia vnus vocationem accepit, & sua-pte sponte consentiens illam reddidit efficacem, alter id facere neglexit.

Deus

Deus est potissima causa, quare gratia sit actu efficax.

DEinde statuo causam potissimam efficaciam gratiae esse Deum. Est sententia communis; nec ab illa dissentit Molina, qui multis videtur oppositum docuisse; solum enim contendit, gratiam vocationis ex sua intrinseca natura non habere efficacitatem, & vim praedeterminandi physicè voluntatem, quoniam ex eo sequeretur tolli arbitrij libertatem in actibus ad salutem pertinentibus, & nullum dari auxilium sufficiens. Praeterea explodere voluit illam opinionem, quae praeter auxilium excitans, admittit motionem aliam consensu priorem, quae iis tantum concedatur, qui re ipsa conuertuntur, non iis, qui in infidelitate, aut peccato perseverant.

Hanc esse huius auctoris mentem apertissime colligi potest ex iis, quae tradit in variis locis suae concordiae, praesertim in quaest. 14. disput. 38. §. Ecce tibi nostram, & quaest. 23. disput. 1. membro 6. & sequent. Vnde memb. 9. eiusdem primae disputationis, §. *Quod si nomine effectus*, probans bonum usum liberi arbitrij non esse causam praedestinationis, refert efficaciam mediorum, quibus adultus salutem consequitur: in Deum liberè donantem ea praeventis gratiae auxilia, quae praevidet esse necessaria, ut liberum arbitrium efficaciter moueatur, sic enim ait: *Praeterea quod hu-*

9
Communis
sententia.
Molin.

Non docuit
gratia efficaciam à solo
libero pendere
arbitrio.

10
Huius sententiae assertorè
fuisse Molinam demonstratur.

Molina asse-
rit Deum ta-
lia auxilia
præbere, qua-
lia sūt neces-
saria ad per-
mouendū li-
berum arbi-
trium.

II

Media scien-
tia Dei à Mo-
lina quare a
studiosè ex-
plicata.

iusmodi auxilia maiora sint, vel minora, ac deni-
que talia, qualia necessaria sunt ad efficaciter libe-
rum arbitrium permouendum, & ad perseueran-
dum in gratia ab ultima eius receptione vsque ad
finem vite, non nostri meriti est, sed solius volunta-
tis Dei præuidentis quantum auxilium cuique ad
utrumque opus sit necessarium, ac liberè donantis.
Hæc ibi; missa faciam permulta alia eiusdem
rationis, quæ tradit eadem quæstione 14. à
disput. 8. vsque ad 48. & per alias disputatio-
nes, in quibus sæpè docet, propterea quosdam
homines saluari, & conuerti, quia illis confe-
runtur ea gratiæ præuidentis auxilia, quæ Deus
præuidit effectum re ipsa habitura, si illa con-
ferret. Qui ita loquitur, nonne perspicuè do-
cet Deum esse principalem, ac potissimam
causam, quare gratia sit efficax, imò solum
ipsum esse causam, quare habeat efficaciam
in actu primo, siue quare sit cōgrua, ac demum
talis, vt liberum arbitrium infallibiliter ei
cooperetur?

Quorsum tam diligenter, & forsitan im-
portunè inculcauit mediam illam scientiam,
qua Deus ab æterno vidit, quid esset futurum
positis his, vel illis conditionibus, nisi vt ex ea
ostenderet non posse cassam esse, aut infallibi-
lem hominum prædestinationem, quamuis
non fuerit ex meritis præuisis quia per eam
cognouit Deus, quæ gratiæ auxilia hoc, aut
illo tempore essent congrua, vt ea prædestina-
tis conferret? At enim qui concedit, & fatetur

soli Deo tribuendum esse, quòd quis ad fidem, & pœnitentiã non tantùm vocetur, sed etiam tunc vocetur, quando respõsurus est vocatiõni, atque adeò congruè, & efficaciter vocetur, is certè neque negat, neque negare potest Deum esse causam non solùm potissimam, sed etiam integram, & totalem efficacix gratix in actu primo, quamvis efficacia in actu secundo, siue ipsa efficientia non soli Deo, sed libero quoque arbitrio tribuenda sit, quia cooperationem non solus Deus efficit, sed etiam voluntas à Deo excitata, & adiuta; liberè tamen, quia potest non operari, etiam posita gratia vocationis, quod Molina tantùm intendit, vt facillè patebit sincerè eum legenti. Sed eo omisso, quem ab inuidia, & calumnia defendet veritas.

Probatnr nostra assertio primò, quia potissima causa dispositionis ad iustificationem requisitæ Deus est; voluntas enim non attingit salutis opera, nisi in virtute diuinæ gratiæ cooperantis; & in huiusmodi operibus essentialiter Deo subordinatur, tamquam primo, & principali agenti: atqui talis dispositio efficitur per eam gratiam; de qua August. Epist. 107. *Vocatio, inquit, illa alta, atque secreta sic agit sensum, vt accommodet assensum; hæc verò gratia est instrumentum, quo Pater trahit ad Filium omnes, qui illam recipiunt: Deo igitur potissimùm tribuenda est gratiæ efficacia, etiam in actu secundo; hoc enim probat ar-*

12
Rationibus confirmatur præsens assertio, Prima.

Augustinus. Vocatio secreta sic agit sensum, vt accommodet assensum.

gumentum.

13
Secunda.
Auxiliū effi-
cax addit ali-
quid supra
sufficiens.

Augustinus.

Auxiliū effi-
cax in quo
differat à nō
efficaci.

Secundò, Auxilium efficax aliquid addit supra sufficiens, non quidem in genere rei, sed in genere doni, ac beneficij; nam maius beneficium confertur illi, cui datur exigua quædam motio, quæ prævidetur effectum habitura; quàm cui datur motio vehementior, ac fortior, quæ tamen prævidetur rejicienda, eò quòd non detur eo tempore, & in iis circumstantiis, in quibus sortiri debeat effectum; hac enim ratione dicit Augustinus carnem absolutè esse meliorè, quàm panem; sed famelico meliorem esse panem, quàm carnem, quia rei necessariæ opportunitas eius pretium solet augere, sicut defectus opportunitatis minuere. At efficax auxilium ante omnem voluntatis consensum eo differt à non efficaci, quòd illud à Deo conferatur, quando prævidetur profuturum; hoc verò quando prævidetur non profuturum; quamvis hoc ideò detur, vt profit, & ex hominis vitio effectum non habeat; igitur efficacia gratiæ Deo potissimùm tribuenda est. Probat consequentia, quia quidquid habet gratia vocationis ante consensum voluntatis, id totum tribuendum est Deo, sed ante eiusmodi consensum habet aliquid gratia efficax, per quod differt à non efficaci, & per quod sit talis, vt liberum arbitrium infallibiliter ei cooperetur, quod non potest esse aliud, quàm efficacia, quidquid tandem illa sit; ergo ante
 consen

consensum voluntatis intelligitur gratia habere efficaciam in actu primo, & quod ex eo sequitur, potissimus auctor totius efficaciam gratiam Deus est.

Efficacia gratiam in actu secundo pendet aliquo modo à libero arbitrio.

Tertio statuo, ab ipso quoque libero hominis arbitrio pendere aliquo modo gratiam efficaciam. Non est sensus, quod gratia à nostra voluntate vim agendi accipiat; nihil enim valemus illi conferre, quo reddatur potens ad efficiendum consensum, cum ex se habeat vim illius effectiuam, quemadmodum etiam gratia sufficiens talé vim habet, quamuis non sortiatur effectum. Tantummodò volumus non posse gratiam actualem efficientiam habere sine libero arbitrio, siquidè operari ipsa non potest, nisi illud cooperetur. Nam licet motio gratiam ex se habeat totam illam efficacitatem, quæ necessaria est ad producendum cum voluntate liberum consensum, tamen cum illa posita, adhuc sit in potestate liberi arbitrij cooperari, vel non cooperari, optimè sequitur non posse gratiam dici actu efficacem, siue efficientem, nisi dependenter ab illo.

Probatur assertio primò, quia in Conciliis supra citatis, maximè in Tridentino sess. 6.

14
Assertionis
sensus.

15

Suadetur rationibus praefata cōclusio.

Primò Concilium Tridentin. Secundò.

Tertiò.

Zach. 1.

Apoc. 3.

Inter rectè sentiētes nullam re ipsa esse contentionem, dum alij gratia efficaciam voluntati tribuūt, alij soli Deo. Molina.

Molina sententia pia, & vera ostenditur.

cap. 5. & Can. 4. apertè definitur *in potestate liberi arbitrij esse vocationi consentire, aut non consentire*: ergo ab eo etiam pendet, quòd gratia vocationis actu efficax sit, aut inefficax.

Secundò, quia auxilium non est actu efficax, nisi dato conuersionis effectū: sed hic à libero arbitrio cooperante pendet, cū sit in ipsius potestate elicere, aut non elicere consensum: ergo, &c.

Tertiò, quia in omnibus Scripturæ locis, vbi ad pœnitentiam inuitantur peccatores, vt Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Apocal. 3. *Sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi.* & in aliis similibus satis significatur in nostra esse potestate efficere, vt auxilia diuina reddantur cassa, seu quod idem est, ne actualement habeant efficaciam: ergo necessariò asserendum est, pendere aliquo modo à libero hominis arbitrio gratiæ efficaciam.

Ego existimo inter eos, qui de efficacia gratiæ rectè sentiunt, dum eorum quidam asserunt à voluntate pendere, alij à solo Deo illam congruè conferente, nullam re ipsa contentionem esse. Nam cū Molina tantopere contendit gratiam reddi efficacem à libero arbitrio illi cooperante, expressè loquitur de actuali efficacia, siue de efficientia, quæ dici potest efficacia in actu secundo, nec aliud vult quàm Dei auxilium ex eo efficere consensum, quia liberum arbitriū vult illi cooperari, cū posset oppositum facere, quod cæteri non in-

ficiantur,

ficiantur, nec possunt sine errore inficiari.

Cùm verò alij affirmant, efficaciam gratiæ non à libero arbitrio, sed à solo Deo pendere, loquuntur de efficacitate, quam vocatio habet, vt non solùm possit simul cum voluntate consensum efficere, verum vt re ipsa efficiat; seu quod idem est, de efficacia in actu primo; quod etiam rectè dicitur, quia à libero arbitrio non pendet, quod Deus illi conferat talem motionem, quæ simul cum illo possit efficere consensum, & tunc conferat, cùm est effectum habitura; vtrumque enim est merum donum, & beneficium Dei. Neque hoc, aut Molina negavit, aut argumenta initio proposita contrarium suadent: procedunt enim de efficacia sumpta pro actuali efficientia, quam sæpè appellauimus efficaciam in actu secundo; non autem de illa vi effectrice, quæ datur in gratia efficaci, & infallibiliter coniungitur cum effectum, quamuis sine libero arbitrio, neque actu coniungatur, neque possit coniungi, quam etiam sæpè appellauimus efficaciam in actu primo, & quidnam sit, nondum est à nobis explicatum.

17
Quomodo accipiendi qui gratia efficaciam à solo Deo pendere dicunt.

Molina non negavit efficaciam gratia à solo Deo pendere in primo actu.

Vtrum efficacia gratia consistat in aliquo Dei proposito, aut in eius præscientia.

P A R S T E R T I A.

EX proximè dictis colligi potest duplicem esse gratiæ efficaciam; vnā actualem,

I
Duplex gratia efficacia actualis & habitualis.

quæ non est aliud, quàm actualis efficientia; alteram veluti habitualem, quæ datur in gratia, antequam intelligatur operatio liberi arbitrij. De hac posteriori sermo est in præsentia. Ostendimus eam non consistere in aliqua prædeterminatione neque physica, neque morali; non etiam esse aut ipsam cooperationem voluntatis, aut extrinsecam denominationem ab illa, aliquidve intrinsecè perti- nens ad ipsam entitatem, & substantiam vo- cationis. Quid igitur esse possit, ulterius in- quiramus.

Ita videtur
sentire Soar.
3. de auxi-
liis.

Rom. 8.

Rom 9.

Ephes. 1.

August.

D. Tho.

Putabit aliquis esse propositum, & inten- tionem Dei volentis saluare illum, cui talem gratiam confert, ita vt ea vocatio dicatur ef- ficax, qua Deus aliquem vocat cum proposito ipsum saluandi. Ita videtur indicare D. Paulus ad Roman. 8. cum ait, *Diligentibus Deum om- nia cooperantur in bonum iis, qui secundum pro- positum vocati sunt sancti.* Et cap. 9. *Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et ad Ephes. 1. *Prædestinati secundum propositum eius, qui ope- ratur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Idẽ sentire videtur Diuus Augustinus de præ- dest. Sanct. cap. 8. & 16. lib. de bono perseuer. cap. 14. lib. 1. Retract. cap. 24. & aliis locis gratiam efficacem appellans, *Vocationem se- cundum propositum.* Idem quoque videtur sen- tire D. Thom. 1. 2. q. 112. art. 3. vbi ait: *Si ex in- tentione Dei mouentis est, quod homo, cuius cor mouet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam*

confe

consequitur. Ad intentionem & propositum Dei reuocat efficaciam motionis, & infallibilitatem conuersionis. Et quod hæc sit eius mens, euidentiùs apparet ex testimonio Augustini, quem ibi refert, *quòd per beneficia Dei certissime liberantur, quicumque liberantur, quia intentio Dei non potest deficere.*

Hæc sententia ad hunc modum breuiter probari & declarari potest. Ex eo, quòd Deus velit aliquem conuertere, talem ei uocationem accommodat, qualem uidet requiri, ut uocationi consentiat: ex hoc igitur proposito oritur, quòd auxilium gratiæ illi collatum certò, & infallibiliter sortiatur effectum, ac proinde sit efficax.

Erunt etiam, qui uelint constituendam esse gratiæ efficaciam in præscientia Dei, siue in conditionata illa scientia, qua Deus ab æterno uidit quid unaquæque uoluntas pro sua innata libertate esset factura, si in tali euentu, talibusque loci, ac temporis circumstantiis hoc aut illo modo uocaretur. Cùm enim Deus efficaci proposito statuit aliquem conuertere, eam illi uocationem accommodat, quam nouit eo tempore, & in tali uoluntatis dispositione effectum esse habituram. Ergo cùm fieri nequeat, ut fallatur Deus, uel res aliter eueniat, quàm ipse nouit euenturam, necesse est, ut ea uocatio, quam ipse uidit profuturam, certò & infallibiliter effectum

Lib. de bono perseu. c. 14.

2
Probatur hæc sententia.

Hoc etiam tenet Soares ubi supra.
Gratia efficiã constituendam esse in præscientia Dei, aliqui opinantur.

effectum illis confert auxilia necessaria, & sufficientia; vel de proposito absoluto, & efficaci. Non primum, quia vocatio, quæ est secundum propositum conditionatum non habet effectum infallibilem; ac proinde potest esse inefficax: sic enim vult Deus omnes homines saluos fieri, non tamen saluantur omnes. Non secundum, tum quia efficacia non esset in ipsa gratia, sed in Deo, in quo est propositum, & valdè extrinsecè, ac remotè diceretur gratia efficax ex eo solùm, quòd Deus per illam absolutè vellet hominem conuertere. Tum quia supposita efficaci Dei volitione, oportet in ipsa gratia assignare aliquid, à quo dicatur formaliter efficax: nam à proposito efficaci habet quidem efficaciam tanquam à sua causa, & radice, non verò tanquam à forma, vt manifestum est. Quæ verò à D. Paulo, D. Augustino, & D. Thoma dicta sunt, egregiè hoc ipsum probant: assignatur enim in relatis testimoniis non efficacia, sed eius causa, & radix.

6
Neq; in Dei
præscientia.

Quod verò attinet ad præscientiam, similiter dicimus, eam esse veluti causam, quare Deus possit efficaciter mouere voluntatem, cum absolutè vult; non assignatur tamen, in quo formaliter constituenda sit ipsa efficacia.

Primum enim nemo dixerit, ab ipsa Dei præscientia dici gratiam formaliter efficacem, aut efficacem esse per extrinsecam deno-

minationem ab illa, sicut aurum ab appetitione dicitur desideratum, aut ab intellectione cognitum.

Deinde Deus per suam cognitionem non facit gratiam efficacem in actu primo, siue non causat ipsam habitualement gratiæ efficaciam, neque formaliter, ut patet, neque etiam effectiue, quia Dei præscientia non est causa rerum, sed eius scientia: quamuis igitur hæc præscientia Deum reddat certum de infallibilitate effectus vocationis, non tamen est ipsa eius efficacia, imò nec illam efficit, ut dixi.

Prætereà in ipsa vocatione dandum est aliquid, per quod hîc, & nunc, respectu talis voluntatis sit efficax, hoc est, non solum efficere possit eius consensum, verum etiam infallibiliter illum factura sit: in hoc enim consistit huius habitualis efficaciam ratio; ad hoc autem per accidens se habet diuina præscientia; quod patet, tum quia ea per intellectum sublata, adhuc posset aliqua vocatio habere efficaciam, si esset ex se libero arbitrio contemperata, & congrua: tum quia rationis ordine præscientia est posterior gratia efficaci: ideò enim Deus præuidit gratiam futuram efficacem, quia talis erat futura.

Denique, ut prius dicebam, diuina præscientia nihil ponit in ipsa vocatione, sed Deum tantummodo certum facit de eius effectu futuro: ergo vocationis efficacia non est

simplici

7
*In vocatione
dandum est
aliquid, per
quod sit effi-
cax.*

simpliciter referenda ad illam, neque ut ad causam formalem, neque ut ad efficientem.

8
Scientia media necessitas

Quæ proposita sunt, optimè probant, necessariam esse mediam illam scientiam ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio, ad concilianda inter se Patrum dicta, ad intelligendam distinctionem gratiæ in sufficientem & efficacem, ad demonstrandam infallibilitatem diuinæ prædestinationis, & ad alia huiusmodi in Theologia valdè intricata; sed institutum non probant. Quare adhuc quærendum est aliquid, in quo efficacia gratiæ constituatur.

Qua tandem in re constitui debeat gratiæ efficacia.

P A R S Q V A R T A.

1
*Vera sententia
efficaciã gra-
tia constituit
in illius cum
libero arbi-
trio congrui-
tate.
Augustinus.
Roman. 9.*

REfutatis cæteris hac de re opinionibus, ea relinquitur approbanda, quæ efficaciam constituit in tali gratiæ cum libero arbitrio congruitate, & contemperatione, ut vocatione posita, voluntatis consensus infallibiliter sequatur. Hoc modo efficacem gratiam declaravit Augustinus lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. dicens: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem. Nam cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Et de

Et de bono perseverantiæ, cap. 14. Ex quo, inquit, apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad Fidem, si congrua suis mentibus vel verba, vel signa conspiciant. Vtroque loco congruitatis meminit, in aliis quoque eandem rem, sed non iisdem verbis explicat; quod nihil refert: satis enim nobis nunc est, gratiam efficacem iuxta mentem Augustini esse certam quandam vocationem, quæ libero arbitrio ita accommodatur, vt ipsum infallibiliter ad consensum inclinet.

In quo verò ista congruitas consistat, non est explicatu facile. Quidam existimant, gratiam Dei dici congruam à tempore, quia congruo tempore confertur, cum videlicet liberum arbitrium est consensurum: quod ita declarant. Deus per scientiam conditionatam præsciuit voluntatem Petri in his circumstantiis positam, talique modo affectam conuersionis actum fore producturam, si tali tempore excitante gratia præueniretur: decreuit igitur illam tunc mouere; quod cum eo tempore facit, dicitur dare vocationem congruam: quo pacto congruitas extrinsecus gratiam denominat, neque est aliud, quam opportunitas temporis, in quo ipsa gratia confertur,

vnde talis gratia posset meritò

appellari vocatio

opportu-

na.

In quo consistat ista congruitas.

Congruitas gratiæ in ipsamet reperitur.

3
Gratia congruitatem r. o. esse potissimum petendam à tempore.

ET si verum est, gratiam congruam non-nisi congruo tempore dari, non puto tamen, à tempore potissimum esse petendam eius congruitatem. Primò, quia tempus, in quo confertur, ideò dicitur congruum, quia gratia in illo collata talis est, vt effectum sit habitura: ex quo fit, vt à gratiæ congruitate congruitas temporis proficiscatur.

Secundò; quia, vt sæpe dixi, in ipsa vocatione assignandum est aliquid, propter quod tali tempore collata Petro, ad consensum illum inclinet: nam alia vocatio alioquin sufficiens, nihil tunc proficeret, & in vacuum reciperetur.

Augustinus.

Tertiò, quia Augustinus in ipsa gratia efficaci agnoscit aliquam perfectionem peculiarem, secundum quam voluntati congruat; & propterea illam appellat *Altam*, & *secretam*; propterea etiam dicit, ita Deum *per illam agere sensum, vt ei accommodet assensum*: propterea item cap. illo 14. de bono perseuerant. non dixit: *Si congruo tempore verba audiant, vel signa conspiciant*, verum, *congrua appellauit verba, & signa, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

Denique nunquam Augustinus, ex quo ista congruitas accepta est, indicauit se de temporis congruitate, sed de congruitate ipsius vocationis loqui; quamuis Scholastici

per tem

per tempus congruum, vocationis congruitatem soleant explicare.

Quapropter alij in ipsa gratia congruitatem agnoscunt, eamque dicunt esse quādam proportionem, & accommodationem inter eandem gratiam, & voluntatem sic affectam, vt infallibiliter sequatur cooperatio. Quod ita explicari potest: Peccatoris voluntas, tum propter circumstantias loci, ac temporis, tum propter nativam corporis complexionem, tum propter aliquos tristitiæ, vel alterius passionis affectus ex aliqua occasione ortos, tum demum propter causas alias sic aliquando affecta est, ac disposita, vt talis mentis illustratio, talisque inspiratio (nimirum cogitatio de gehenna, & timor æternorum cruciatuum in tanta, vel tanta intensio-
ne) animo concepta ad efficiendam infallibiliter conuersionem sint illi debite proportionata. In hac igitur proportionem, siue contemperatione erit merito collocanda illa efficacia gratiæ, quæ est in actu primo, & dici potest quodammodo habitualis.

Quod verò subiecti dispositio ad hanc rem maximè conferat, is solum negare poterit, qui prorsus ignorat, quæ intra se geruntur. Quis enim non experitur, seipsum pro varia animi, corporisque dispositione ad res diuinas, vel humanas variè affici, & leuissimis interdum causis facillimè flecti ad illa eadem, quæ aliàs maximè auersabatur? Idcirco diuinæ

Quid sit praefata congruitas.

Subiecti dispositio maximè ad hanc rem conferit.

Litteræ, & Patres monent diligentissimè cuique vigilandum, quia humani generis hostis omnes obseruat tentandi occasiones, vt si quam nactus fuerit accommodatam, retia tendat, & incautum capiat.

Augustinus.

Hanc sententiam mihi videtur subtiliter attigisse Augustinus in illo cap. 14. de bono perseuerant. cum dixit: *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad Fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Notandæ sunt illæ duæ voces, *Ingenio*, & *Mentibus*, quæ significant propriam naturæ dispositionem, & ad illam refert sanctus Pater gratiæ congruitatem, quia nimirum aliqui faciliùs mouentur ad amplectendam Fidem, eo quòd secundum naturam meliùs sunt dispositi, præsertim quando illa, quæ audiunt, ac vident, cum ipsorum dispositione congruunt. Eodem spectant illa ex lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Verbum, *Aptum*, hanc dispositionem indicat. Huc etiam referri potest, quod est inter Theologos receptum, *Naturalia conducere ad assequendam beatitudinem, & quatenus re ipsa conducunt, inter effectus predestinationis numerari.*

6
Quanto iure gratiæ efficaciam Deo tribuatur.

Hinc verò maximè apparet, quanto iure gratiæ efficaciam tribuatur Deo Auctori. Cum enim, vt iam dixi, infinita illa scientia, quæ omnia attingit, non solum comprehendat

quoniam

quonam quisque modo in quouis tempore affectus sit, verum etiam quænam, & qualis vocatio ei sic affecto aptè contemperetur, & ita congruat, vt vocatus consentiat; dum illam confert, quam videt effectum esse habituram, non tantum dici debet gratiæ donator, sed æquo iure eius etiam efficaciam auctor; siquidem donans gratiam posset conferre talem, quæ cum esset alioquin ad conuersionem sufficiens, nisi peccatoris vitio rejiceretur, effectum tamen non esset habitura.

Ita patet in primis, gratiæ efficaciam in tali congruitate, & contemperatione cum libero arbitrio consistere, vt gratia posita sequatur cooperatio. Deinde hanc congruitatem non esse aliquam vim prædeterminandi physicè, aut moraliter voluntatem, quia talis gratia potest simpliciter rejici, ac proinde liberè acceptatur. Præter ea non esse quoque vllam entitatem ipsius gratiæ, quasi in gratia efficaci sit aliqua entitas, quæ dicatur efficacia, quæ eadem non reperiatur in gratia non efficaci: nam quæ vno tempore, & secundum vnam subiecti dispositionem est efficax, eadem prorsus alio tempore, & secundum aliam dispositionem erit inefficax. Tandem potissimam, ac totalem causam huius efficaciam in actu primo esse Deum, qui non solum gratis vocationem homini confert, sed talem etiam confert, quam præuidet effectum non carituram.

Præfata congruitas non est vis aliqua physicè, aut moraliter prædeterminans.

*Dissoluntur quedam obiecta contra
propositam doctrinam.*7
*Prima ob-
iectio.*

POtest nostra resolutio multipliciter impugnari. Primò, si gratiæ efficacia consistat in præfata congruitate, & contemperatione, non solùm erit referenda in Deum, vt in causam totalem, sed poterit etiam reduci in eum, qui conuertitur, atque in eius complexiõnem, & aptitudinem; siquidem ab ea pendet, quòd hîc, & nunc acceptetur hæc vocatio, quæ in aliis circumstantiis esset rejicienda, vt dictum est: ergo, &c.

Responsio.

Respondeo, posse efficaciam gratiæ in aptitudinem, & complexionem peccatoris reduci tanquam in causam materialem, non tanquam in efficientem, aut veluti efficientem: quoniam sicut Deus ex mera sua liberalitate, & bonitate contulit peccatori sic disposito hanc determinatam gratiam, quæ habuit effectum; ita poterat conferre aliam, quæ nihil illi prodesset: ex meritis enim subiecti nullam omnino conferre tenebatur. Non minùs igitur debet tribui Deo gratia, quàm eius efficacia; at solus ipse est auctor gratiæ, ergo solus etiam est auctor efficaciam.

*Secunda ob-
iectio.*

Secundò, videtur ex hac sententia sequi: nullam prorsus esse gratiam sufficientem, quæ non sit efficax. Probat sequela, quia ea tantùm vocatio dicenda erit sufficiens, qua quis ita vocatur, *vt ei aptum est, ne vocantem*

spernat,

ſpernat, ſicut loquitur Auguſtinus; atqui ſola vocatio congrua talis eſt, ſiquidem non congrua non contemperatur vocato: ſola igitur hoc modo congrua eſt ſufficiens.

Reſpondeo, non tantum eam vocationem ſufficientem eſſe, qua quis ita vocatur, vt ei aptum eſt, ne vocantem ſpernat, ſed etiam illam, quæ ex ſe poſſet effectum habere, niſi peccatoris voluntas illam pro ſuo libito negligeret. Congruitas enim, vt explicauimus, non eſt aliqua vis determinatiua voluntatis, neque aliud pertinens ad intrinſecam gratiæ rationem, ſed quædam proportio inter vocationem, & voluntatem tali modo affectam, vt infallibiliter, ſed liberè ſequatur operatio. Nam quemadmodum poſita gratia congrua, poteſt peccator abſolutè non conuerti, ſi nolit illi cooperari; ita poſita gratia non congrua, poteſt abſolutè conuerti, ſi velit cooperari: vtrumque enim pro ſua libertate facere poteſt, ſpectata vocationis natura.

Tertiò, alienum videtur à ſumma Dei bonitate, vt præuidens infinitos propè peccatores vocationi non conſenſuros, niſi congruenter vocentur iuxta modum explicatum, eos nihilominus non tunc vocet, quando eis aptum eſt, ne vocantem ſpernant; ſed tunc potiùs, cum ea ratione ſunt diſpoſiti, vt collatam ſibi gratiam negligant: hoc certè non videtur moraliter eſſe aliud, quàm velle, vt damnentur; ſi enim Deus id nollet, congruenter

Auguſtinus.

8

*Occurritur
precedenti ob-
iectioni.*

*Vocatio ſuffi-
ciens qua-
nam ſit.*

*Tertia ob-
iectio.*

illos vocaret, quando scilicet essent dispositi.
 Respondeo, non esse alienum à Dei bonitate plurimos tunc homines ad se vocare, quando nouit eos non esse sequuturos; nec rectè ex eo inferri, quòd moraliter velit, vt vocati damnentur; siquidem certum est, illum velle conditionata voluntate, *vt omnes homines salui fiant*, nisi ipsimet saluti resistent, aut aliunde impedimenta opponantur.

Quin potius in eo summa Dei clementia, & benignitas erga genus humanum cernitur, quòd præuidens quosdam contemptis sponte diuinis legibus in peccata casuros, alios pertinaciter illis adhæsuros, vtrosque sufficientibus gratiæ auxiliis frequenter excitat, & monet illos, ne cadant; hos, vt resipiscant: quod verò vtrique oblata sibi auxilia negligant, non Dei scientia, sed eorum voluntas causa est. At cur efficacia omnibus præsidia non conferat, cum possit; id quidem inuestigare non humanæ est imbecillitatis, cui ab Apostolo dictum: *Noli altum sapere, sed time.* Nonnullas tamen congruentes rationes excogitant Doctores, quas hoc loco referre opus non est.

Quartò, accidere poterit, sic aliquem affectum, ac dispositum esse, vt nulla ei congruat vocatio; ex quo fiat, vt nequeat Deus efficaciter illum vocare, atque adeò nec conuertere. Si quis respondeat, non esse putandum, deesse diuinæ potentia, ac sapientia modum, quo possit quamcumque voluntatem

quomodocumque dispositam ad aliquid inclinare; saltem non videtur inconueniens credere, posse aliquem esse tam obstinatum, vt in omni tempore, atque in omni occasione vocationis gratiam respuat, hoc enim in eius est potestate, cumque fieri non repugnet, potuit Deus ab æterno id præscire, & ex consequenti non poterit in tempore congruenter illum vocare, quod asserere absurdum est.

Respondeo fieri non posse, vt aliquis ita sit dispositus, vel obstinatus, nulla vt ei congrua vocatio aptari à Deo queat; quod testatur beatus Augustinus lib. i. ad Simplicianum, quæst. 2. sic scribens: *Cum alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sepe alio modo dicta moueat, alio modo dicta nõ moueat, aliūque moueat, aliū non moueat; quis dicat defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatēque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est? Quod si tanta quoque potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat mentis auersio, queritur etiam, vtrum de diuina pœna sit ipsa duritia? Non dicit aliquam posse dari obstinationem, quam Deus sua gratia non possit vincere; nam statim subdit: *Cum enim Deus deserit, non sic vocando, quomodo ad fidem moueri potest, quis etiam dicat modum, quo ei persuaderetur, vt crederet, etiam omnipotenti defuisse? &c.* Sentit igitur Augustinus contineri in ipsis diuinæ potentia, & sapientia thesauris, tot vocationum modos*

IO
Responso.

Augustinus.

Nunquā congrua vocatio alicui deesse potest.

vt nulla omnino voluntas possit esse tam pertinax, aut tali modo affecta, vt nequeat Deus extraordinariis saltem gratiæ auxiliis illam emollire.

*Quintæ obie-
ctio.*

Quintò. Infallibilitas, sub qua gratia efficax sortitur effectum, tanta esse debet, vt nullo modo deficere queat; siquidem hæc gratia est medium accommodatum efficaci Dei intentioni, quam implicat non impleri: sed ex vi solius congruitatis non potest esse tanta infallibilitas, quia non repugnat voluntatem obsistere vocationi hoc modo congruæ: ergo non in congruitate, sed in re alia videtur constituenda efficacia gratiæ.

II
Ad quintam.

Respondeo rectè probari, gratiã congruam vi sua non inferre vllam necessitatem libero arbitrio, ac proinde posse ab eo absolutè rejici: id enim dicere oportet, & iam sæpius diximus: at non inde sequitur dari posse gratiam congruam, quæ re ipsa effectum careat, quoniam esset congrua, & non congrua; nam ex eo, quòd aliqua connexio sit contingens, tantùm sequitur, quòd non sit absolutè infallibilis, non verò quòd ex aliqua suppositione non possit infallibilis reddi: sic igitur in proposito, licet contingens sit vocationem congruam re ipsa voluntatem inclinare ad assensum, & cum illa cooperari; ex suppositione tamen quòd sit congrua, infallibiliter sequitur voluntatis cooperatio, quia vt talis acceptanda est à libero arbitrio, à quo

secun

secundum suam substantiam, & entitatem spectata potest repudiari. Nec verò ad hanc infallibilitatem necessaria est in Deo præscientia; quoniam posito quòd gratia sit congrua, quamvis per impossibile id à Deo nesciretur, nihilominus effectum haberet; nam Dei præscientia non facit gratiam esse congruam, sed facit Deum certum de ipsa congruitate. Vnde si Deus non præsciret voluntatem Pauli tanta vi gratiæ non solùm emolli posse, sed re vera emolliendam, nequiret infallibiliter nosse ipsius conuersionem futuram. Est igitur præscientia Deo necessaria, vt conferat auxilia efficacia & congrua; vt verò congrua vocatio suum effectum infallibiliter sortiatur, sicut nihil impedit ipsius absolute spectatæ contingentia, ita nihil refert, quòd à Deo præsciatur.

Urgebit hic aliquis ex dictis apertè colligi, posita gratia congrua non posse effectum non sequi, ac proinde in sensu composito necessarium esse, vt conuertatur is, qui congruè vocatur, quod videtur à nobis in superioribus non semel negatum, cum sæpius dictum sit posita gratia efficaci, adhuc liberum esse voluntati consentire, aut dissentire; quæ duo nõ videntur rectè inter se cohærere. Occurrendum est dupliciter intelligi posse in re præsentis sensum compositum; vno modo ex gratiæ efficacis positione, spectata in se gratia quo ad suam entitatem, & quo ad omnia

Præscientia Dei non facit gratiam congruam: sed Deum certum de congruitate.

12

Opponet aliquis.

Occurritur obiectioni. Sensus compositus dupliciter potest intelligi.

quæ

quæ habet intrinsecè, præciso ordine ad liberam voluntatis cooperationem : altero ex eiusdem gratiæ positione, non sumpta gratia absolutè, & præcisa ab omni ordine, sed cum respectu ad liberam cooperationem, quam simul cum voluntate est effectura; sic enim interdum sumitur gratia efficax siue congrua prout idem est atque vocatio, quæ est effectum habitura. Secundum hunc posteriorem modum concedimus, data gratia efficaci, & congrua opus esse, vt sequatur cooperatio; non secundum modum priorem, quia sumpta efficacia, siue congruitate, vt solum dicit contemperationem vocationis cum voluntate, & præciso omni alio respectu, adhuc verè dixeris posse hominem non conuerti, & congruam vocationem respuere, quamuis re ipsa responsurus illi sit, & liberè cooperaturus.

13
Sexta obie-
ctio.

Sextò, ex congruitate gratiæ prædicto modo explicata sequi etiam videtur, data duobus æquali vocatione, aut vtrumque consensurum, aut neutrum, quod cum libertate actus consentiendi pugnat: nam si vtraque vocatio sit congrua, necesse erit vtrumque conuerti; si neutra congrua sit, neuter conuertetur; si vna sit congrua, altera non congrua, vocationes non erunt æquales, quòd est contra suppositionem: ergo, &c. At enim quòd actui libero repugnet, aut vtrumque vocatum consentire, aut neutrum, manifestum est, quia ad

ratio

rationem actus liberi pertinet, vt positus iisdem conditionibus, quibus fit, possit non fieri, atque adeo vt possit ab vno fieri, ab altero non fieri pro cuiusque arbitratu. Hoc argumentum longiori indiget discussione, ideo quærendum vltimò est.

Vtrum ex duobus equali gratia præuentis possit vnus consentire, alter dissentire.

P A R S Q V I N T A.

Possent hæc quæstio iure optimo præmitti, cum ex dictis satis constet, quid in ea tenendum sit. Neque auctores, qui de gratiæ auxiliis rectè, & Catholicè sentiunt, possunt circa illam inter se dissidere, nisi solùm in modo loquendi. Verùm ne omnino id prætereamus, quod attingunt omnes, & quidam hoc tempore tanti faciunt, vt in asserenda, tuendaque negatiua opinione tragædias excitent, proponenda à nobis est nuda veritas, relictis multis, quæ ad vtramque partem confirmandam afferri solent.

Ante omnia aduertere oportet trifariam considerari posse gratiam vocationis. Primò, quo ad suam præcisè essentiam & entitatem, siue quo ad illa, quæ ante voluntatis consensum in sua natura includit, vt est motio, siue excitatio interna. Secundò sub morali

quadam



Gratiam vocationis trifariam considerari posse.

Bellarmin.

Soarius.

Vasquius.

quadam ratione, non solum vt est talis essentia, & perfectionis intrinsecæ, sed etiam quatenus est donum, & beneficium Dei, siue vt est misericordia & gratia, nam gratia simpliciter dicta includit rationem beneficij, & beneuolentiæ, vt notant Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 13. & cum illo lib. 6. cap. 15. Soar. lib. 3. de auxiliis cap. 20. nu. 10. ad finem. Vasquius in primam partem tom. 1. disput. 98. cap. 6. & alij. Tertiò considerari potest gratia vocationis per ordinem ad actum liberum voluntatis, hoc est, in quantum cum libero arbitrio producit, aut non producit consensum.

2

Si quis hoc posteriori modo quæstionem moueat, inepta erit quæstio: apertissimum enim est nõ posse hac ratione vnum conuerti, quin alter cum æquali gratia conuertatur. Nam vt vocatio vnus cum actu liberi arbitrij coniuncta, aut non coniuncta est, ita & voluntas alterius; ex quo fit, vt vel vterque conuertatur, posito vtrimque actuali gratiæ influxu, vel vtrimque sublato, neuter conuertatur. Vnde inutiliter laborant, qui conantur ostendere eum, qui conuertitur, propterea maius semper auxilium habere, quàm qui non conuertitur, quia præter motionem præuiam, quæ vtrique communis est, habet actum conuersionis, quem alter non habet. Relicto igitur hoc modo, de aliis duobus dicendum est.

In primis de secundo, in quo accipitur

gratia

gratia sub ratione gratiæ, misericordiæ, doni beneficij; quæ ratio respectiua est, & importat ordinem non solum ad donatarium, sed etiam ad donantem; quoniam nihil potest concipi sub ratione doni, nisi intelligatur procedere ex gratia, & liberalitate largientis. Si quis enim rem pretiosam donet, aut eius valorem ignoras, aut vi vlla, metuve coactus; dici quidem poterit rem magnam dare, non tamen magnum conferre donum. Ex quo necesse est fateri aliquam esse in Deo scientiam, per quam cognoscat, cui vocationi quæque voluntas re ipsa consentiet, si in his, aut illis circumstantiis vocetur, vt vocatio congrua respectu Dei vocantis habeat specialis gratiæ & misericordiæ rationem, nec solum iuxta suam naturalem, & intrinsecam perfectionem pensetur.

Fieri ergo potest, vt vocationes duæ physicè, & in genere entis æquales sint, quia vtraque est de eodem specie obiecto, nec vna plus habet entitatiuæ perfectionis, quàm altera: quo ad rationem verò beneficij ac doni sint inæquales. Quin etiam quæ suapte entitate minùs perfecta est, potest esse longè perfectior secundum moralem rationem gratiæ, ac beneficij: Vnde maius beneficiũ confertur illi, cui datur tenue auxilium, quàm cui magnum, si priori tunc datur, quando est consensurus, non posteriori.

Illud quoque in hac gratiæ considera-

tione

³
Dua vocationes physicè æquales, quomodo possint esse inæquales in genere beneficij.

m 246a

tione aduertendum est (cùm rationes respectiuæ, sine variatione fundamenti possint variari, quo pacto domus in se immobilis mihi fit propinquior, eo quòd ego magis ad illam accedo) posse eandem diuinam motionem ratione dispositionis personæ, cui confertur, & ratione occurrentium circumstantiarum nunc maius, nunc minus esse beneficium, sicut pharmacum pro diuersa ægroti dispositione potest magis, minúsque prodesse.

*Proponitur vera doctrina, &
confirmatur.*

⁴
*Auxilia in
genere bene-
ficij equalia
si duobus cõ-
ferantur, fieri
non potest v-
trius conuer-
tatur, alter
non conuer-
tatur.*

Primò igitur statuo, cùm auxilia duobus collata in genere beneficij sunt æqualia, fieri non posse, vt vnus conuertatur, alter non conuertatur. Est assertio communis & certa, notaque ex terminis; nam vocationes duorum tunc dicuntur esse æquales in genere beneficij, cùm æquè vtrique sua prodest; si enim vna profit, altera non profit, hoc ipso constat non conferri vtrique beneficium æquale, sed illi maius, qui congruè vocatus est. Quod deinde ex eo patet, quia vocatio congrua ex parte Dei semper procedit ex peculiari intentione, qua efficaciter vult conuersionem eius, qui congruè vocatur; at hoc pertinet ad singularem Dei beneuolentiam, quæ non sic elucet in vocatione non congrua, quamuis hæc etiam gratia & donum sit.

Præterea

Præterea maius beneficium Socrati confert, qui rem minoris pretij illi donat, cum videt esse maximè necessariam, & re ipsa profuturam, quàm qui donat rem pretij maioris, sed in eo euentu, in quo videt nihil illi profuturam: ergo cui Deus congruam vocationem tribuit, semper illi maius facit beneficium, quàm cui tribuit non congruam, quamuis ista quo ad substantiam, & entitatem longè sit perfectior. Confirmatur, quia cum donum suapte significatione importet respectum ad donatarium; eò censendum erit maius, quò illi fuerit magis utile, eò verò minus, quò minus utile; ex necessitate enim, & utilitate rei donatæ pensanda est quantitas doni, vt gratia, & donum est.

Hanc doctrinam tradit Augustinus locis mille à nobis suprâ relatis, in quibus magnum constituit discrimen inter gratiam congruam, & non congruam, exprimens esse aliquid speciale in congrua ratione, cuius sit maior gratia, maior misericordia, maius donum, maius beneficium, maius etiam auxilium; & maior vocatio: nam & auxilium, & vocatio respectum important ad eum, cui succurritur, & qui vocatur. Videatur igitur Augustinus præsertim in libr. de prædestinatione Sanctorum, cap. 6. 8. 16. De bono persever. cap. 6. De corrept. & grat. cap. 11. & 12. libr. 2. de peccatorum meritis, & remissionib. cap. 19. & alibi.

*Deus maius
et beneficium
confert, cui
cōgruam vo-
cationem co-
fert, quàm
cui non.*

*Augustinus.
Confirmatur
præcedens do-
ctrina.*

Prosper.
 Aliàs 23.
 Hilar. Are-
 latensis.

Gregorius.
*Doceri non
 est tribuēdū
 quod intelli-
 git, sed Deo.*

6
*Si auxilia so-
 lum in genere
 rei æqualia
 duobus confe-
 rantur, fieri
 poterit ut
 unus conuer-
 tatur, & nō
 alius.*

Bellarmin.
 Molin.
*Molina impu-
 gnatur ubi
 non est impu-
 gnandus.*
 Driedo.
 Ruard.
 Staplet.

Videri quoque possunt Prosper ad excepta Genuensium dub. 3. lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. & ad capitula Gallorum cap. 5. & Hilarius Arelatensis in Epistola ad Augustinum, quæ est ante librum de prædestinatione Sanctorum. Egregia sunt verba illa Gregorij Magni homil. 30. in Euangel. *Nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus insit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Ecce unam loquentis vocem omnes pariter auditis, nec tamen pariter sensum audita vocis percipitis. Cum ergo vox dispar non sit, cur in cordibus vestris dispar est vocis intelligentia, nisi quia præter hoc quod vox loquentis communiter admonet, est magister, qui de cordis intelligentia quosdam specialiter docet.*

Secundò statuo, si auxilia gratiæ spectentur solum in genere rei, siue quo ad præcisas entitates, quas habent, ut sunt actus interni ab intellectu, & voluntate elicit, fieri posse, ut unus cum æquali, vel minori cōuertatur, alter cū æquali, vel maiori non conuertatur. Est sententia omnino vera. Eam tradunt Bellarm. libr. 1. de gratia & libero arbitrio. cap. 13. & libr. 6. cap. 15. Molina in concord. ad quæst. 14. disput. 12. & in multis aliis locis eiusdem concord. in quibus nihil omnino aliud vult, & si eius oppugnatores velint, ut aliud velit. Driedo de captiu. & redempt. gener. hum. tra. 4 c. 2. p. 5. conclus. 5. Ruard. artic. 7. conclus. 7. 8. & 10. Stapletonius lib. 4. de gratia, & li-

bero

bero arbitrio cap. 8. Soarius libr. 3. de auxiliis cap. 20. num. 4. & cap. 21. Fonseca libr. 6. Metaphysic. cap. 2. quæst. 5. sect. 14. Gregorius de Valentia tom. 2. commentariorum Theologic. disput. 8. quæst. 3. punct. 4. propositione 6. Sot. 1. de natur. & grat. cap. 16. Vega libr. 6. in Concilio Tridentino cap. 9. quos Vasquez 1. tom. in 1. part. disput. 98. cap. 6. immeritò dicit fuisse deceptos, cum rectè senserint, & ipse ab illis in modo tantùm loquendi dissentiat, vt manifestum est. Fauent Bonauentura in 4. distinct. 16. artic. 4. quæst. 1. Altiſiodorensis libr. 2. Summ. tract. 2. cap. 3. Dionysius Cisterciensis in 2. distinct. 17. art. 3. & alij.

Soarius.
Fonseca.

Valent.

Sotus.
Vega.
Vasquez.

Bonauent.
Altiſiodor.
Dionysius.

Probatur primò testimoniis sacrae Scripturae. Ezech. 3. ita dicitur: *Vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos; non enim ad populum profundi sermonis, nec ignota lingua tui mitteris, & si ad illos mittereris, ipsi audirent te, domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Hæc non sunt intelligenda de externa tantùm prædicatione, quia nisi Israëlite interna quoque motione fuissent vocati, non erat, cur ita à Deo reprehenderentur. Præterea qua ratione Prophetam audirent alij populi, si ad illos mitteretur, eadem profus noluerunt Iudæi ipsum audire; nam si maiori illustratione, aut inspiratione fuissent illi præuenti, quid mirum, si Prophetæ obedirent, Iudæis non obedientibus? Rectè idem institutum concluditur ex illo Christi Domini Mat-

Ezech. 3.

Matth. 11.

thæi 11. *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in te, utique in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quibus verbis tam est apertū firmari nostram assertionem, quàm sūt inutiles variæ interpretationes, quæ a plerisque adhibentur ad eorum veritatem eludendam. Quis enim non videt non potuisse locum esse tali reprehensioni, si vel Iudæi nulla essent præueniente gratia interiùs excitati, sed externis tantum signis commoniti; Tyrij verò, & Sidonij tam signis foris, quàm diuina intus motione forent impulsii; vel si conspectis miraculis in Iudæorum potestate esset excitantem gratiam habere, qua non possent conuerti?

Concilium
Tridentinū.

Probatur secundò ex Concilio Tridentino sess. 6. capit. illo 5. sæpius à nobis relato illis verbis: *Eidem gratia liberè assentiendo, &c. ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abicere potest, &c.* ex qua sententia, quæ etiam est in canone 4. ita conficitur argumentum; potest qui cōuertitur, abicere inspirationem, & non conuerti; potest alter æqualem inspirationem in genere entis recipere, & conuerti (sicut enim potest vnus illam abicere, ita & alter recipere) ergo ex mente Concilij cum æquali gratiæ motione potest vnus conuerti, alter non conuerti.

Augustinus.

Probatur tertio ex Patribus, Augustin. 12.

de ciuit. Dei cap. 6. vbi ad liberum arbitrium refert causam, quare vnus eadem tentatione pulsatus, & eodem auxilio præuentus, eodemque modo affectus resistat, alter verò succumbat. Item lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Quamuis, inquit, multi vno modo vocati sunt, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi solum sequuntur vocationem, qui ei capienda reperiuntur idonei. Vbi vides nullum ponere discrimen inter obedientem, & non obedientem ex parte vocationis, vt est quædam entitas, sed ex parte affectus vtriusque. Item lib. de prædestinat. & gratia, siue is sit Augustinus, siue alius cap. 15. comparans Nabuchodonosor cum Pharaone: Ambo, inquit, homines, ambo reges, ambo captiuum Dei populum possidentes, ambo flagellis clementer admoniti: cur ergo medicamentum vnius medici confectum alij ad interitum, alij valuit ad salutem? Quid fines eorum fecit esse diuersos, nisi quod vnus manum Dei sentiens in recordatione propria iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio?*

Idem docent Orig. lib. 3. Periarch. Chryso-
stom. hom. 16. in cap. 9. epist. ad Roman.
Prosper. lib. 2. de vocatione gent. cap. 9. Gre-
gor. Mag. homil. 36. in Euangel. & alij. Sed
notanda sunt verba Cyrilli lib. 11. in Ioan c.
21. de Iuda proditore, *Quod si proditor, inquit,
equaliter alius Discipulis Saluatoris auxilium non
habuerat, frustra hæc à nobis dicerentur. Sin autem*

Eodem auxi-
lio vnus con-
uerti potest,
alter non.

9
Origen.
Chrysoft.
Prosper.
Aliàs 26.
Gregorius.
Cyrill. Alex.

non minus, quam ceteri diuina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiam non seruauit eum Christus? &c.

10
Confirmatur
ratione.

Probatur quartò ratione, quia auxilium præueniens non prædeterminat neque physice, neque moraliter voluntatem, vt latè probatum est, relinquatur ergo homini libera potestas, vt eo posito consentire, aut dissentire queat, siue illud magnam, siue paruum habeat perfectionem intensiue; & quod hinc sequitur, qui habet auxilium æquale, vel magis intensum poterit tunc dissentire, quando alter, qui habet minus intensum, consentit; nam vsus libertatis non impeditur per motionem gratiæ, quia non necessario mouet, cum non prædeterminet voluntatem.

Proponuntur & soluuntur obiecta quadam contra propositam doctrinam.

ADuersus ea, quæ diximus, nonnulla opponi solent, quæ possent ex superioribus non difficilè dissolui; proponenda tamen sunt & diluenda.

Prima obie-
tio.

Primò, si ex duobus æquali motione excitationis posset vnus conuerti, alter non conuerti, sequeretur conuersum discernere se à nõ conuerso; habere aliquid pertinens ad ordinem gratiæ, non ex gratia; posse de sua conuersione gloriari; non plus debere Deo, quam qui

non

non conuertitur, quia non maius recepit auxilium, & huiusmodi alia, quæ repugnant diuinis oraculis, præsertim Paulo 1. ad Corinth.

1. Corint. 4.

4. *Quis est, qui te discernit, &c.*

Respondeo, non sequi vllum inconueniens, aut quidpiam Scripturæ, vel Apostoli doctrinæ contrarium. Nam, vt dixi non semel, semper Deus est, qui vel solus, vel principaliter discernit. Solus id facit per auxilium præueniens, quod operatur in homine sine homine; facit id principaliter per actum conuersionis simul cum homine, quem excitat, & iuuat, suæque gratia aptum efficit ad talem actum eliciendum. Quoniam verò homo, Deo excitante, & iuuante actum efficit, minùs principaliter se discernit: nec inde sequitur, habere aliquid pertinens ad ordinem gratiæ sine gratia, siquidem non efficit actum supernaturalem, nisi à Deo excitatus, & adiutus; ac proinde plus debet Deo, quàm qui ideò non conuertitur, quia non fuit congruè vocatus, & si causa, quare non conuerteretur, fuit propria voluntas, non defectus vocationis. Prætereà conuersus non potest de sua conuersione gloriari, quasi illam non acceperit, vt satis diximus disput. 2. part. 4. in responsione ad secundum.

Occurritur
1. obiectioni.

Secundò, ex proposita doctrina sequitur, posse vnum cum æquali auxilio intensius operari, quàm alterum: hoc verò dici non potest, quia ex eo rursus sequitur, maiorem, aut

12
Secunda ob-
iectio.

minorem intensiorem actus supernaturalis tribui posse naturali potentia: vnde etiam intellectus suapte natura nobilior cum æquali lumine gloriæ melius Deum videbit, quod falsum est, & hoc tempore communiter reprobat.

Solutio.

Scot. in 4. d.
50. q. 6. Dur.
in 3. d. 14. q.
1. Richard
in 4. d. 49.
artic. 2. q. 8.
Maior. q. 10
Caiet. 3. par.
q. 10. art. 4.
*Ex dubio
æquale auxi-
lium haben-
tibus neuter
potest inten-
sius operari,
sed remissius.*

Respondeo posse argumento dupliciter satisfieri. Primò, licet creata voluntas absque auxilio gratiæ nequeat attingere actum supernaturalem; sufficiente tamē auxilio suffulta non modò id potest, verum etiam pro maiori, minorive conatu valet magis, minùsve intensè operari: neque est inconueniēs intellectum nobiliorem cum lumine æquali melius Deum videre, quàm minus nobilem, vt præter Scot. Durand. Richard. Ioan. Maiorem, Caiet. & alios defendit Molin. 1. part. quæst. 1. 2. art. 6. disput. 2. quem alij recentiores secuti sunt. Sed quoniam hæc sententia improbabilis est, & cum theologice principiis minus cohærens, ideo dici potest secundò ex duobus æquale auxilium habentibus neutrum posse operari intensius quàm sit auxilium, posse tamen operari remissius; & propterea fieri posse, vt vnus operetur feruentius, quàm alter intra actiuitatem & gradum auxiliij, quia potest vnus elicere actum adæquatam quantitati auxiliij, alter pro sua libertate minorem; quia sicut voluntas auxilio suffulta non potest suo conatu superare actiuitatem eiusdem auxiliij, ita non cogitur illam adæquare, quia li-

berè

berè agit, & potest operari remissiùs, quàm sit principium operandi, sicut potest omnino non operari.

Tertiò, sequitur eum, qui cum æquali auxilio conuertitur, ideo conuerti, quia vult sicut alter non conuertitur, quia non vult: at hoc admittendum non est, quoniam poterit conuersus sibi tribuere suam conuersionem, ergo, &c.

Respondeo non esse inconueniens concedere id, quod infertur, si rectè intelligatur, vt iam supra disput. 2. part. 3. copiosè declarauit ex August. & Patribus aliis, qui absolutè dicunt consentire cum diuina gratia, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis esse. Itaque in sensu explicato concedi potest hominem conuerti, quia vult, quoniam conuerti velle, aut quod idem est, conuerti hominem, quia vult, non est aliud, quàm liberè conuerti, vt notissimum est.

Verùm quia ille modus loquendi potest ingerere sensum falsum, ex quo parum intelligentes errandi, vel calumniandi occasionem arripiant, vt solent, idcirco cautius dicendum est, eum, qui non conuertitur, non conuerti, quia vult, qui verò conuertitur ex diuina gratia, habere quòd conuertatur, non tamen sine libero arbitrio, à quo habet actus conuersionis, quòd liber sit. Et hic loquendi modus videtur quibusdã expressè traditus apud Oseam cap. 13. illis verbis, *Perditio tua Israel, tantum-*

13
Tertia obie-
tio.

Solutio.

Homo con-
uertitur quia
vult.

Osc. 13.

m 151

modo in me auxilium tuum. Sed litteralis sensus huius loci est, Tu malorum, quæ pateris, tibi causa es, non ego in illa te impulsi; Ego id solum ago, ut te iuuem, sed uti meo auxilio non vis.

14
*Quarta ob-
ectio.*

Quartò, semper auxilium, quo vnus conuertitur, etiam in genere rei, est maius illo, quo alter non conuertitur: fieri ergo nequit, ut cum æquali auxilio vnus conuertatur, alter non conuertatur. Antecedens ostenditur, quia vocatio efficax semper habet ex parte Dei aliquid speciale vltra congruitatem, habet enim coniunctam remotionem eorum, quæ possunt conuersionem impedire, quam non habet vocatio sufficiens, at hæc remotio pertinet ad rationem auxiliij sufficientis, & requiritur ex parte principij effectiui conuersionis, quod Deus libero arbitrio confert. Confirmatur, quia maius auxilium, siue maior vocatio non potest consistere in sola maiori perfectione positiua illustrationis, & inspirationis, sed etiam in quocumque maiori effectu diuinæ gratiæ, & prouidetiæ supernaturalis, qui quouis modo ad actum conuersionis plus conferat. Vnde cum Deus tali tempore, & in talibus circumstantiis remouendo impedimenta, & offerendo bonas occasiones, eam motionem alicui donat, cui vocatus respondeat, & tantam vel maiorem donat alteri non remouendo impedimenta, nec bonas occasiones offerendo, propter quod non respondeat, cense-

tur

tur dare respondenti maiorem gratiam in genere rei; ac proinde contingere non potest, ut cum æquali auxilio conuertatur vnus, & non alter.

Respondeo primò, iam eo modo non fieri comparisonem inter auxilia in genere rei; nam quòd remoueantur impedimenta, & offerantur bonæ occasiones, ad peculiarem gratiam & beneficium spectat; nos verò in hac comparatione loquimur de sola entitate & perfectione positiva auxilij nudi sumpti, siue ut est actio, actionesve intellectus & voluntatis, seu qualitates, actionis nomine significatæ.

Respondeo secundò, non semper opus esse, ut remotione impedimentorum, vel appositione bonarum occasionum auxilium eius, qui conuertitur, maius sit. Nam possunt duo ita æqualiter præueniri, ut vel vtrique auferantur impedimenta, vel neutri, & tamen propter inæqualitatem propriæ dispositionis poterit auxilium esse vni contemperatum & congruum, non alteri; & absolutè poterit vnus conuerti, alter nolle conuerti, cum possit.

Respondeo tertio, fieri etiam posse, ut qui pauciora, & minùs vrgentia impedimenta habet, cum motione interna æqualiter intensa resistat, & is, qui habet impedimenta maiora consentiat; loquor autem de impedimentis præcedentibus actum voluntatis, quorum

15
Responso
prima

2. Responso.

16
3. Responso.
Qui habet
maiora im-
pedimenta,
consentit; &
qui minora,
dissentit.

remo

Concilium
Tridentinū.

remotio pertinet ad gratiam præuenientem, & hoc modo explicata responsio est doctrina certa in fide, & ratione naturali probatur, quia remotio impedimentorum non aufert natiuam volūtatē indifferentiam. Vnde sicut idem homo, iuxta definitionem Concilij Tridentini posita inspiratione potest resistere vel non resistere; ita duo cum æqualibus inspirationibus, & remotis, vel positis impedimentis ita se habere poterunt, vt vnus consentiat, alter resistat. Prætereo alia argumenta, quæ Theologi quidam accumulāt, quia nullius momenti sunt, & ab illis, vt par est iudicare, non ideo ponuntur, quòd credantur vim habere, sed vt multiloquio, & inutili repetitione earundem rerum obtineant, quod sincerè non possunt.

*Deo Iesu Christo, æterni Dei coæterno Filio
laus, & gloria.*

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTURÆ,
QVÆ IN HOC OPERE
explicantur.

Ex Genesi.

Cap. 43. *Deus autem meus faciet illum placabilem, &c. dist. 2. part. 4. num. 10.*

Ex Exodo.

Cap. 33. *Miserebor cuius misereor, &c. dist. 2. part. 1. num. 8.*

Ibidem. Cuius vult, miseretur; & quem vult, iuratur, &c. dist. 2. part. 1. num. 8.

Lib. 1. Regum.

Cap. 7. *Preparate corda vestra Domino, &c. dist. 2. part. 5. num. 13.*

3. Regum.

Cap. 17. *Præcepi ibi mulieri viduæ, ut pascat te, &c. dist. 2. part. 4. num. 22.*

Esther.

Cap. 15. *Conuertitque Deus spiritum Regis, &c. dist. 2. part. 4. num. 10.*

Iob.

Cap. 12. *Qui immutat cor Principum, &c. dist. 2. part. 4. num. 10.*

Psalmi.

Psal. 22. *Misericordia tua subsequetur me, &c. dist. 1. part. 5. num. 2. 4. & 6.*

54. *Audiam quid loquatur in me, &c. dist. 1. part. 3. num. 2.*

58. *Deus*

Index locorum

58. *Deus n. eius misericordia eius, &c. dist. 1. part. 5.
num. 1.*
72. *Separat se à malis, &c. dist. 2. part. 4. num. 24.*
80. *Et dimisi eos secundum desideria, &c. dist. 2.
part. 4. num. 11.*
87. *Manè oratio mea proueniet te, &c. dist. 1.
part. 5. num. 2.*
113. *Non nobis, Domine, non nobis, &c. dist. 2.
part. 4. num. 25.*
118. *Præueni in maturitate, & clamavi, &c. &
iterum: Præuererunt oculi mei, &c. dist. 1.
part. 5. num. 2.*

Ecclesiasticus.

- Cap. 7. Considera opera Dei, &c. dist. 2. part. 4.
num. 11.*

Prouerb.

- Cap. 1. Quia vocavi, & renuistis, &c. dist. 1. part. 6.
num. 4. item dist. 2. part. 3. num. 13. & 19.*
8. *Et hauriet salutem à Domino, &c. dist. 2. part. 1.
num. 8.*
8. *Preparatur voluntas à Domino, &c. dist. 2.
part. 3. num. 13. & part. 5. num. 13.*
16. *Homini est preparare animam, &c. dist. 2.
part. 5. num. 13.*
21. *Cor Regis in manu Domini, &c. dist. 2. part. 4.
num. 10.*

Esaias.

- Cap. 1. Si uolueritis, & audieritis me, &c. dist. 2.
part. 3. num. 13.*
5. *Quid ultra debui facere vinea mea, &c. dist. 1.
part. 6. num. 4.*

sacra Scriptura.

5. *Iudicate inter me, & vineam meam, &c. dist. 2.
part. 3. num. 13.*
14. *Dominus exercituum decreuit, &c. dist. 2.
part. 4. num. 15.*
46. *Consilium meum stabit, &c. dist. 2. part. 3.
num. 7.*
54. *Erunt omnes docibiles Dei, &c. dist. 3. part. 2.
num. 6.*
55. *Verbum, quod egreditur, &c. dist. 3. part. 1.
num. 3.*
57. *Percussi eum, & auerti faciem meam, &c.
dist. 2. part. 4. num. 11.*
65. *Tota die expandi manus meas, &c. dist. 2.
part. 6. num. 4. item dist. 2. part. 3. num. 19.*

Hierem.

- Cap. 10. Non est in homine via eius, &c. dist. 2.
part. 4. num. 10.*

Ezechiel.

- Cap. 3. Vade ad domum Israel, & loqueris, &c.
dist. 3. part. 5. num. 7.*
36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, &c.
dist. 1. part. 1. num. 1.*

Iosue.

- Cap. 7. Non potuerunt filij Israel subsistere, &c.
dist. 2. part. 4. num. 10.*

Oseas.

- Cap. 13. Perditio tua, Israel, &c. dist. 3. part. 5.
num. 13.*

Matthæus.

- Cap. 6. Fiat voluntas tua, &c. dist. 2. part. 6.
num. 10.*

Index locorum

11. *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida, &c. dist. 1. part. 6. num. 4. item dist. 2. part. 3. num. 13. & dist. 3. part. 5. num. 7.*

19. *Qui potest capere, capiat, &c. dist. 3. part. 1. num. 11.*

23. *Quoties volui congregare filios, &c. dist. 1. part. 6. num. 4.*

Marcus.

Cap. 6. Et non poterat ibi virtutem, &c. dist. 3. part. 1. num. 11.

Lucas.

Cap. 22. Et quidem filius hominis secundum quod, &c. dist. 2. part. 4. num. 16.

Ioannes.

Cap. 3. Iustificat se, &c. dist. 2. part. 4. num. 14.

4. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem, &c. dist. 2. part. 4. num. 16.*

5. *Quomodo vos potestis credere, &c. dist. 3. part. 1. num. 9.*

6. *Nemo potest venire ad me, nisi, &c. dist. 2. num. 1. item part. 3. num. 5. part. 4. num. 8. & dist. 3. part. 1. num. 3.*

6. *Omnis, qui audiuit à Patre, dist. 3. part. 2. num. 6.*

7. *Non potest mundus odisse vos, &c. dist. 3. part. 1. num. 11.*

10. *Non rapiet eas quisquam de manu mea, dist. 2. part. 4. num. 14.*

12. *Propterea non poterant credere, &c. dist. 3. part. 1. num. 9.*

sacrae Scripturae.

13. *Sine me nihil potestis facere, &c.* Disp. 1. part. 3. num. 5.
15. *Si non venissem, & loquutus fuisset, &c.* Disp. 1. part. 6. num. 4.
15. *Sine me nihil potestis facere, &c.* in Praefatione num. 1.

Acta.

Cap. 2. *Hunc definito consilio, & praescientia, &c.*
Disp. 2. par. 4. num. 16.

Ad Romanos.

- Cap. 2. *Gloria, & honor, & pax, &c.* Disp. 2. part. 4. num. 26.
8. *Spiritus adiuuat infirmitatem, &c.* Disput. 1. part. 2. num. 3.
8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, &c.* Disp. 2. part. 2. num. 16.
8. *Diligentibus Deum omnia, &c.* Disp. 3. part. 3. num. 1.
8. *Quos praesciuit, & praedestinauit, &c.* Disp. 3. part. 3. num. 4.
9. *Miserebor, cuius misereor; & rursus cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat, &c.* Disp. 2. part. 1. num. 8.
9. *Non ex operibus, sed ex vocante, &c.* Disp. 2. part. 4. num. 14.
9. *Vt secundum electionem, &c.* Disp. 3. part. 2. num. 5. & part. 3. num. 1.
9. *Non est volentis, neque currentis, &c.* Disp. 3. part. 2. num. 7.
11. *Noli altum sapere, &c.* Disp. 3. part. 4. num. 9.
& II

Index locorum

13. *Tota die expandi manus meas, &c.* Disp. 2.
part. 6. num. 9

1. ad Corinth.

Cap. 1. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur, &c.*
Disp. 2. part. 4. num. 26

4. *Quid autem habes, quod non accepisti? &c.* in
Praefatione, num. 1

4. *Quis est, qui te discernit? &c.* Disp. 2. part. 4.
num. 26. item Disp. 3. part. 2. num. 7. & part. 5.
num. 11

4. *Laus erit unicuique à Deo, &c.* Disp. 2. part. 4.
num. 26

12. *Nemo potest dicere: Domine Iesu, &c.* Disp. 1.
part. 3. num. 5

15. *Gratià Dei sum id, quod sum, &c.* Disput. 1.
part. 1. num. 14. & part. 2. num. 4

15. *Non ego, sed gratia Dei, &c.* Disp. 2. part. 1.
num. 19

2. ad Corinth.

Cap. 3. *Non quòd sufficientes simus, &c.* in Prae-
fatione, num. 1

6. *Exhortamur, ne in vacuum, &c.* Disp. 1. part. 2.
num. 4

12. *Si voluero gloriari, non ero, &c.* Disp. 2. part. 4.
num. 26

12. *Si gloriari oportet, non expedit, &c.* Disp. 2.
part. 4. num. 26

Ad Ephesios.

Cap. 1. *Qui praedestinavit nos, &c.* Disp. 2. part. 4.
num. 14

sacrae Scripturae.

1. *Prædestinati secundum propositum, &c. Disp. 3. part. 3. num. 1*

2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, &c. Disp. 2. part. 4. num. 15*

Ad Philippenfes.

Cap. 1. *Incipere in nobis opus bonum, &c. Disp. 3. part. 2. num. 7*

2. *Deus est, qui operatur in nobis, &c. in Prefatione, num. 1. item dist. 2. part. 3. num. 2*

2. *Operari in nobis, & velle, &c. Disp. 3. part. 2. n. 7*
1. ad Timoth.

Cap. 2. *Deum velle omnes homines saluos fieri, &c. Disp. 2. part. 2. num. 10*

2. ad eundem.

Cap. 1. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua, &c. Disp. 1. part. 3. num. 2*

2. *Deus vult omnes homines saluos fieri, &c. Disp. 1. part. 5. num. 5*

2. *Firmum fundamentum Dei stat, &c. Disp. 2. part. 4. num. 14*

2. *Sanctificat se, &c. Disp. 2. part. 4. num. 24*

4. *Bonum certamen certavi, &c. Disp. 2. part. 4. num. 26*

12. *Sufficit tibi gratia mea, &c. Disp. 2. part. 4. n. 14*
Iacobi.

Cap. 1. *Fidem bonis operibus cooperari, &c. Disp. 1. part. 4. num. 11*

Apocalypsis.

Cap. 3. *Sto ad ostium, & pulso, &c. Disp. 2. part. 3. num. 19. Item Disp. 3. part. 2. num. 15.*

FINIS.



I N D E X

P R Æ C I P V A R V M

R E R V M, E T S E N T E N -
tiarum, quæ in hoc libro
continentur.



C T I O non datur, qua agens
naturale applicetur à Deo ad
agendum. 11

Actus quibus gratiam sanctifi-
cantem, aut eius incremen-
tum assequimur, liberi sunt. 149

Actus supernaturales potuerunt prædefiniri,
& reuera prædefiniri sunt. 179. non est ta-
men necesse, vt ad eos voluntas prædeter-
minetur physicè.

Adiutorium est, non solum sine quo non fit,
sed etiam quod fit propter quod datur. 36

Affectiones prauæ fidem & conuersionem
impediunt, sed non determinant volunta-
tem. 232. 233

Amoris Dei actus ab homine & Deo, vt pro-
ducatur. 50

Andreas Vega adiuuantem gratiam dari pos-
se contendens sine excitantæ arguitur. 51

Anima sui iuris vim habet operandi, neque
vlla in re Deo, nisi velit obtemperat. 201

I N D E X.

- Antecedēs suppositio infert simplicitatem, & tollit libertatem. 206
- Attritio supernaturalis dari potest sine sacramento, quæ non procedit ab aliquo habitu infuso. 59
- Augustinus quando de subordinatione secundæ causæ ad primam loquitur, non de operibus naturæ, sed de efficacia gratiæ agit. 181. ex Aug. quomodo possit voluntatis prædeterminatio physica colligi. 182. 183. Augustinus nunquam de hac prædeterminatione ne somniauit quidē. 184. 185. 186. Illam negare apertè conuincitur. 187. Cum tractū nominat, non intelligit determinationem, nec necessitatem. 188
- Augustinus voluntatem vocationis liberæ consentire pluribus in locis docet. 189. Ad Augustini verba ex quibus colligitur prædeterminatio, responderetur. 192. 195.
- Auxilium plerisque datur sufficiens, quod non sit efficax. 87. quod probatur multis Scripturæ & patrum testimonijs. 88. 89. & ratione. 90. Hoc auxilium Calvinus & Lutherus negantes arguuntur. 90. Auxilium sufficiens in quo statu ponit hominem, ut possit bene operari. 96
- Auxilium efficax datur homini ad eliciendos bonos actus naturales, in quibus est difficultas. 114. Auxiliū speciale an detur, quod physicè causet consensum voluntatis. 116. & probatur concedendum. 116. & seq.

I N D E X.

Auxilium æquale habentes duo, non possunt intensius operari, quàm sit auxilium, remissius tamen possunt. 280. Auxiliũ æquale vni potest esse contemperatum, alteri non. 283

Auxilium sufficiens non alia ratione esse definit efficax, nisi quia homo ei non cooperatur. 237. Auxilium efficax addit aliquid ex parte Dei supra sufficiens. 246

Auxilium sufficiens ijs tantum dari qui conuertuntur, non autẽ alijs dogma hæreticum. 122. Auxilium sufficiens datur omnibus. 127. in auxilio efficaci non est vis aliqua ad determinandã volũtatem. 133. auxilium repudiari posse, & non repudiari diuersa sunt, illud habet efficax gratia, hoc nunquam. 142

Auxilium intelligitur esse aliquid per modum principij effectiui. 31. Auxilium speciale dici debet concursus Dei ad voluntatem in actionibus supernaturalibus. 32

Auxilia æqualia duobus in genere beneficij collata nõ possũt facere, vt vnus cõuertatur, alter non. 272. Auxilia gratiæ spectata in genere rei duobus collata, æqualiter, vel minùs vnus conuertetur, alter non. 274

B.

Benignitas Dei summa in hoc apparet, quòd sufficientibus auxilijs omnes ad salutem vocet, & aliqui quòd non respondeant, nequitia eorum tribuendum sit.

C.

- Calvinus & Lutherus, & alij Hæretici liberum arbitrium tollentes prædeterminationem statuerunt. 170
- Causa prima agens cum secunda simul cum illa concurrat ad actum. 110
- Causa instrumentaria potest attingere effectum nobiliorem. 70. Causæ plures ad vnum effectum simul concurrunt. 509
- Causæ principales plures eiusdem effectus dari possunt. 49
- Christi opera fuerunt meritoria, & ab omni æternitate prædefinita. 165. Christi voluntas fuit determinata ad bonum, & non potuit peccare, non tamen ad modos & circumstantias operandi. 180
- Chrysostomo falsò imponitur, quod senserit salutis nostræ initium esse à libero arbitrio. 201
- Cogitatio pia quomodo ad gratiam operantem, & cooperantem pertineat. 27
- Cogitatio sancta quælibet, aut pia mentis motio non potest dici gratia excitans. 71. cogitatio pia non sufficit, vt liberum arbitrium de peccatis doleat, nisi sit à Deo immissa ad finem salutis. 73
- Comitās gratia est eadem cum adiuuante. 75
- Concurrere simul natura quid sit. 107
- Congruitas gratiæ cum libero arbitrio in quo sit posita. 257. hæc congruitas non

consistit

I N D E X.

- consistit in tempore 258. congruitas gratiæ in ipsa gratia consistit, & quidnam sit. 259
- Consentire aut dissentire vocationi Dei, propriæ voluntatis est. 139
- Conuerti vnus potest cum æquali mentis motione, alter non conuerti. 376. conuertitur homo quia vult nullum est inconueniens dicere, sed quomodo hoc cautius sit dicendum. 281
- Conuersio instantanea non facit, vt gratia præueniens non sit necessaria. 52
- Conuersio hominis quoad suum initium Deo omnino tribuenda. 150. conuersio est à Deo, & à libero etiam arbitrio. 151

D.

- D**ecreta Dei æterna circa homines non indigent physica vlla determinatione, vt certa sint. 146
- Determinatio moralis tam ex Aug. quàm ex pluribus Scripturæ locis ostenditur efficaciam gratiæ constituere. 225. 226. Determinatio moralis in quo à physica differat. 227. 228. Determinatio moralis dupliciter fieri potest, & quomodo. 228. Determinatio moralis ad conuersionem non planè est necessaria. 230. cum determinatione morali potest consistere libertas arbitrij. 231. Deus simul cum causis secundis concurrit, & immediate in earum actiones influit. 14

I N D E X.

Deus influendo in actum volūtatis illam de-
terminare apte intelligitur. 156. hoc refu-
tatur. 157. Deus voluntates quocunque
voluerit flectere potest. 161. Deus qua ra-
tionē humanam voluntatem in actum
adigat. 168

Deus quomodo dicatur sine nobis gratiæ
initium operari. 30. Deus vt velimus &
suum esse voluit & nostrum, suum vocan-
do, nostrum sequendo. 9. Deus homini, &
homo Deo cooperari dicitur. 13. Deo rectè
tribuitur, quòd bene velimus, nobis autem
tribui non potest, quòd vocamur. 17. Deus
quomodo homini, & homo Deo coope-
retur vel non. 30

Deus non præcipit impossibilia, sed iubendo
monet quod possis. 95. Deus non vult ab-
solute omnes homines saluari. 97

Deus non esset cooperator, si homo non esset
operator. 190

Deus clare visus voluntatem ipsam determi-
nat ad Deum amandum. 163. Deus dicitur
omnipotens, quia quicquid vult potest.
166. Deus reducit homines ad se nō vi, sed
suadela. 199. Deus voluntatum omnium
dator non est. 204

Deus in homine & simul cum homine qua-
liter bonum opus faciat. 171. Deus
non solus, sed cum homine discernere
dici potest. 174

Deus qua ratione dicatur mouere & applica-

I N D E X.

- re causas secundas ad agendum. 212. Deus non determinat voluntatem ad agendum, sed ipsa se determinat in doctrina D. Thomæ. 213
- Deus bonorum operum indifferentiumque causa est principalis & particularis. 48. in operibus supernaturalibus, Deus est causa prima & principalis, & homo etiam in suo ordine. 49. Deus in nobis & nobiscum operatur, vt operemur, & quid hoc sit. 52.
- Deus potest efficere vt creatus intellectus sine lumine gloriæ diuinam essentiam conspiciat. 61. Deus non est gratia adiuuans, quod probatur. 68. Deus neminem deserit, nisi prius ab ipso deseratur. 80. Deus non determinat physice hominis voluntatem. 110
- Deus confert omnibus gratiam cum qua saluari possint, si velint. 120. Deus in omni opere bono prius incipit, quàm causa secunda. 131
- Differentia inter sufficientem & efficacem gratiam non est ex parte liberi arbitrij, sed ex parte ipsius gratiæ. 145
- Discernit Deus solus principaliter, homo Deo excitante, & adiutus minus principaliter. 279
- Discretio bonorum à malis qualiter Deo tribui possit sine prædeterminatione. 172. Discretio hæc Deo tribui potest duplici ratione, & quæ illa. 173

I N D E X.

Discrimen qui vtriusque gratiæ sufficientis & efficaciæ petunt ab effectu, explicantur. 97.

Discrimen qui statuunt inter sufficientiam ad posse, & sufficientiam ad velle, pugnantia dicunt. 123. & hoc etiam fidei repugnare ostenditur. 124

Dispositio non meretur de condigno habitus infusionem, hic tamen infunditur iuxta mensuram dispositionis. 58. Dispositio vltima est ordinis diuini. 60

Donum eo est maius, quo donatario magis utile fuerit: & eo minus, quo minus utile. 273

E.

Efficacia gratiæ in actu secundo pedit quodammodo à libero arbitrio. 247. hoc rationibus suadetur. 248. Conciliantur qui dicunt illam totaliter à Deo pendere. Et illi qui quoad efficientiam eam pendere dicunt à libero arbitrio, inter quos est Molina. 249. Efficacia gratiæ duplex est actualis & habitualis. 250. Hæc fitne secundum propositum voluntatis Dei, vt Paulus & Aug. testari videntur, ead. quidam eam statuunt in præscientia Dei, siue in conditionata scientia, aut media. 251. Quæ huic sententiæ faueant. 252. in proposito Dei gratiæ efficacia non potest consistere. 253. Gratiæ efficacia habet à proposito Dei originem & radicem non formam. 254. illa etiam non est referenda ad præscien-

tiam.

I N D E X.

tiam. 255. Gratia demum efficacia constituitur in congruitate, & contemperatione liberi arbitrij cum ipsa gratia. 256. 261. Obiectionibus responderetur, quæ in tali congruitate hanc non consistere posse affirmant. 262

Efficax gratia de qua hic agitur, coniuncta est cum ipso actu quem efficit, & illum infalibilibiter producit. 224. hæc non consistit in p hyfica, sed morali determinatione. ead. in physica determinatione eam non esse constituendam probatur. 229. 230. Efficaciam gratiæ à libero arbitrio pendere, sunt qui putent, & sic distingui gratiam sufficientem ab efficaci, quod hic acceptet, ille non. 236. Efficaciam gratiæ non pendere à libero voluntatis arbitrio multis probatur. 239. 240. quo modo Aug. id multis tenendum definiat. 242. Efficaciæ gratiæ Deus est potissima causa. 243. Efficaciæ gratiæ Deus in actu primo totalis causa est, sed non in secundo, seu in gratiæ efficientia. 245

Excitans gratia quænam sit, & quomodo etiam adiuuans dicatur. 34. hæc quàm late pateat. 35. Quid propriè sit. 36. hæc non solum in peccatoribus, sed in iustis etiam locum habet. 37. Gratia excitans non semper assequitur suum effectum, sed sic adiuuans. 38

I N D E X.

F.

FAcienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, hoc qua ratione sit intelligendum. 77. 78. Hoc est facere quantum potest opera virtutum, & peccando diuinæ gratiæ obicem non ponere. 80. Quomodo pelagianum non sit istud asserere. 81
 Fides est gratia excitans & adiuuans. 67. Fides non vi, sed ex persuasione oritur. 138
 Forma aliqua non potest conferre alicui posse bene operari, quæ non conferat illi actum. 95

G

GLoriarine possit homo de sua conuersione, & ostenditur non posse. 174. non tamen id simpliciter malum est, cum homo propter talia opera gloria & laude dignus sit. 175. modo id bono fine, & recto ordine fiat. 174

Gratia excitans dicitur efficax & non efficax. 65. Gratiã dari efficacẽ probatur ab Auctore. 101. Hæc gratia qua in re constituenda sit variæ opiniones, & prima actualem esse Dei cõcursum ad actum conuersionis, quæ reiicitur ib. & 102. & seq. Gratia efficax non pendet à libero arbitrio, vt in homine fiat, quamuis vt effectum habeat aliquo modo pendeat. 102. 2. opinio gratia est quid compositũ ex motione præuia & habitu supernaturali, quo voluntas fit potens, vt conuersionem ipsam attingat. 112. hæc opinio

I N D E X.

refellitur. 113. & seq.

Gratia recte in sufficientem, & efficientem distinguitur. 85. Gratia sufficiens illa dicitur, quæ potest habere effectum, sed non habet. 86. gratiæ vtriusque expressè Augustinus vbi meminerit. 87. gratiæ sufficientis & efficacis diuisio est Catholica, & eadem est cum congrua, & non congrua. 93

Gratia vocationis congrua, & gratia efficax & præueniens sunt idem apud Aug. 186

Gratiæ generaliter omne donum à Deo homini datum cõplectitur. 4. specialiter quid significet. ibid. gratiæ diuisiones, & actualis quæ sit. 5. hæc quomodo diuidatur. ibid. gratia operans & cooperans, quid sint. 6. Gratia operans quænam sit iuxta Vegam. ibid. & refellitur. 7. & secundum Thomistas aliquos. ib. refellitur. 8. gratia operans ab excitante gratia non est diuersa. 9. de eadem operante gratia quid senserit Durandus, sed reijcitur. 10. 11. Gratia operans quid sit ex sententia Auctoris. 15. Gratia cooperans quid sit: opinio prima. 19. gratia liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum, sanatur, cum immutat affectum. 21. Gratia cooperans quid sit: secunda opinio. 22. tertia de ea opinio & ea vera asseritur. 23

Gratia Dei operans & cooperans vna & eadem multis rationibus, & Scripturarum & Patrum auctoritate ostenditur. 23. 24. 25.

Gratia



I N D E X.

Gratia Dei in omnibus iustificationibus
 principaliter præminet. 29. Gratia exci-
 tans cur dicatur operans & nõ potius ope-
 rata. 33. Gratiam adiuuantē distingui re ipsa
 ab excita te, qui asserant & qua ratione.
 53. refutatur hæc opinio. 54. alij eam dicunt
 esse motionem quamdam mediam inter
 excitantem, & consensum liberi arbitrij. 55.
 refelluntur. 56. alia opinio tradit illam esse
 habitus infusos in ipsa conuersione, & ibi-
 dem hæc opinio etiam refellitur. 57. quarta
 opinio, eam non esse aliquid diuersum ab
 actiua Dei concursu ad actum consentien-
 di. 59. Quinta opinio, eandem esse cum ex-
 citante, quatenus est efficax. 60. Adiuuan-
 tem gratiam Deum ipsum esse, quæ ratio-
 nes suadeant. 62. Adiuuantem gratiam &
 excitantem duas esse rationibus euincitur.
 63. 64. vera sententia est contraria, vnã
 & eandem gratiam esse adiuuantem & ex-
 citantem. ibid. confirmatur argumentis. 65
 Gratiam efficacem quidam ponunt in quali-
 tate antecedente liberæ voluntatis con-
 sensum, ad quem vt effectiua eius causa
 physicè concurrat. 115. Hæc opinio nullo
 modo est admittenda, & probatur eius fal-
 sitas. 118. 119. & seq. incommoda quæ se-
 quantur hanc opinionem. 120. Gratiam ef-
 ficacem habere non est in hominis pote-
 state. 125. quamuis eidem cooperari, libe-
 rum illi sit. 126. Gratia excitans cui ꝑcca-

I N D E X.

tor consentit, an voluntatem physicè præ-
determinet. 129. affirmans pars probatur.
130. negans vero pluribus confirmatur tã-
quam vera, & affirmans plane reiicitur.

134

Gratia efficax quę sit, & vnde dicatur. 99. eius
varia nomina. 100. Gratia efficax consistit
in aliqua vel aliquibus motionibus, qui-
bus ad agendum & consentiendum vo-
luntas impellitur. 113

Graue cur dicatur à suo generante moueri.

213

H.

Hæretici asserunt voluntatem nostram à
Deo non ueri instar rei inanimæ. 47

Homo nihil facere potest quo Deum obliget
ut eum eligat. 153. Homo conuertitur, quia
diuinæ gratiæ vult cooperari. 154

Homo an sit causa principalis actibus su-
pernaturalibus, an instrumentalis tantum,
& hæc pars probatur. 44. sed prior magis
probatur. 45. 46. cum patres dicunt homi-
nem esse instrumētum Dei, quo modo in-
telligendi. 47. Homo in operibus malis nõ
solum est causa principalis, sed etiam pri-
ma, & non Deus. 8. homo est electionis
potestate præditus. 89. Homines possunt
esse in hac vita sine peccato, sed non sunt,
quia nolunt. 89

Homo vnus posita inspiratione potest con-
sistere & resistere, & duo etiam positis

inspira

I N D E X.

inspirationibus, & sublatis impedimentis,
poterit vnus consentire, alter resistere.

284

Homo cōuertitur quia vult verene dici pos-
sit, & probatur quòd non. 148. sed verum
hoc esse postea pluribus demonstratur.

140. 150

Homo pro suo arbitratu se determinat, non
autem Deus illum. 190. Homo non ex im-
perio Dei (id est necessitate) sed ex obse-
quio suo viuit.

202

I.

Ignorans ea quæ scire tenetur, prius pec-
cat in negligentia, quam in ignoran-
tia.

125

Impossibile pro valde difficili in Scripturis
sæpe ponitur.

233

Indurare est negare auxilium efficax, & cōtra
misereri conferre.

104

Influxus Dei in actibus ad salutem pertinen-
tibus, gratia excitante & adiuuante conti-
netur.

191

Initium salutis nostræ à Deo habemus, vt ac-
quiescamus nostræ potestatis est.

17

Initium salutis nostræ à Deo habemus, sed
potestatis nostræ est acquiescere.

128

Inspiratio & si vehementissima non potest
habere vim prædeterminandi voluntatem.

137. inspirationis repulsio est propriæ ne-
quitix, receptio, gratiæ est diuinæ, & hu-
manæ voluntatis.

140

Intel-

I N D E X.

Intellectus nobilior cum lumine æquali melius Deum videt, quàm minus nobilis. 280

Iustificationis opus solus Deus inchoat. 29

Iustus ad actus supernaturales nullo modo quàm excitante gratia indiget. 41. Et si ad eos actus illo concurrat, id facit, vt iustus facilius & suauius operetur. 42. Iusti tamen actus Deo tribuitur, vt agenti particulari, & cur. 43

L.

Liberum arbitrium causa est, quare ex duobus æqualiter tentatis, & eadem gratia præuentis, vnus succumbat, alter resistat. 277

Liberum arbitrium prouidentia diuina non obtunditur. 198. Libertatem arbitrij negat, qui dicit, Deus si vult, bonus sum, si non vult, malus. 200

Liberum arbitrium & gratia simul agere demonstratur. 16. & iterum. 28. Liberum arbitrium an prius concurrat natura ad actum conuersionis disputatur. 106. Vterque simul concurrunt. 107. Quod postea magis explicatur. 108

M.

Meritum non inuenit gratia sed facit. 145

Molina non docuit gratiæ efficaciam à solo pendere arbitrio. 243. Quæ sit eius sententia, & quæ ipse impugnet referuntur

ead. &

I N D E X.

ead. & 244. ab eodē quare tam studiose
media scientia explicata ead. & vera eius
sententia, quam à calumnia & inuidia ve-
ritas vindicabit. 245. Quando asseruit gra-
tiam efficacem à libero arbitrio pendere,
rectè eipie sensit. 248. Molina impugna-
tur vbi non est impugnandus. 274

Ad monstrum duæ simul rationes naturales
concurrunt. 49

Motio supernaturalis præter excitantem gra-
tiam ad actus supernaturales non requi-
ritur. 119

N.

Naturalia conducunt ad beatitudinem,
& quatenus talia inter effectus præde-
stinationis numerantur. 260

Nemo propriis viribus vult, aut currit ad sa-
lutem consequendam. 152

Nemo peccat in eo, quod vitare non po-
test. 233

Nemo sine sua culpa occæcatur, aut libidine
irretitur. 91

O.

Opera quædam speciale Dei auxiliu
requirunt. 1. Opera mala sine adiutorio
Dei agimus. 2. Opera ordinis naturalis
quædam sine speciali Dei auxilio in statu
naturæ lapsæ homo operari non potest. 3
Opera bona non præcedunt gratiam. 1 fe-

quantur.

I N D E X.

quantur.

181

P.

- P**atres quos aduersarij pro sua sententia proferunt, quid velint, quod vere sententia sit consentaneum. 196. Numquam illi determinationis physicae meminerunt. 197. Patres qui omnino physicam determinationem negarunt, 198. Patres qui voluntatis indifferentiam ad actus humanos induxerunt, praedeterminationem sustulerunt. 205. Patres asserunt Deum praescire euentus futuros quia erant futuri: non autem ideo futuros quia praecogniti. 207
- Pelagianismus aut Massiliensium error nullus est in nostra sententia. 222
- Peccator cum elicit actum contritionis non solum inuitatur à Deo, sed etiam iuuatur. 39. Peccator ad Deum libere conuertitur, ipseque actus conuersionis est meritorius vitae aeternae. 55
- Ad perseuerandum specialis gratia est necessaria. 53. Non tamen necessario perseuerant, qui perseuerant. ibid.
- Posse pro velle, & non posse pro nolle interdum usurpatur. 234
- Potestas non est nisi à Deo, verum: voluntas non est nisi à Deo, falsum. 204
- Praedestinatio cum certa sit non potest pendere à prauiſo bono vsu liberi arbitrij. 240. Quod ex Scripturis plane conuincitur. 241
- Praedestinatio est praeparatio gratiae & bene-

I N D E X.

- ficioꝝ Dei. 193
- Prædeterminatio est certissima, nec dependet ab vii bono liberi arbitrij. 164. Prædeterminationis certitudo constare potest sine prædeterminatione, & sine præuisis meritis posita scientia media. 176. Hoc iterum explicatur ex scientia media. 178
- Prædeterminatio esse non potest per gratiam excitantem, aut per aliquam infusam qualitatem. 160. Prædeterminatio est necessitas in agendo. *ibid.* Prædeterminatio qua ratione ex absoluta potestate quam Deus in omnes creaturas habet, colligi posse videatur. 162. Non prædeterminari voluntatem in actibus liberis Deo demonstratur. 166. 167
- Prædeterminatio non potest fieri à Deo per naturalem concursum, neque per gratiam excitantem, neque per absolutam voluntatem. 155. In actionibus liberis neque prima causa determinat secundam, neque hæc illam. 159
- Prædeterminatio non potest vlla ratione cum indifferentia consistere. 22
- Prædeterminatio voluntatis quibus modi fieri intelligi possit. 129. Prædeterminatio physica impedit libertatem agendi. 134. Qualis sit eorum responsio qui voluntatem prædeterminari dicunt in sensu composito, sed non in sensu diuiso. 137. Hæc responsio inepta ostenditur & temeraria. 141.

I N D E X.

141. 142. Refelluntur argumenta, quæ hanc ponunt. 143

Prædeterminatio malorum omnino impia tollenda est. 167. Ea etiam in bonis actibus supernaturalibus non est necessaria. 168

Præparationis vocabulum varie sumitur apud Aug. 193. Præparare cor est hominis, sed non sine adiutorio Dei. ea.

Præscit omnia Deus, sed non omnia prædeterminat. 204. Præscientia Dei non facit vocationem congruam, sed infallibilem.

Præueniens gratia quid sit. 18. Præuenit nos Dei bonitas, ut innocentes faciat. 23

Præueniens gratia fundamentum habet in Scripturis. Late & strictius accipitur, & hoc modo etiam gratia excitans. 74

S.

Sacramenta sunt propriè instrumèta Dei, non autem liberum arbitrium. 48

Scientia media est necessario in Deo admit- tenda. 146

Scientia media quæ sit, & quomodo ponenda sit. 176. Cur media seu conditionata dicatur, & quomodo necessaria sit. 177.

Probat ex Scripturis & Patribus. ea. si- ne hac non potest constare scientia visio- nis, quam qui negat hæreticus est. 178

Scientia Dei practica est causa rerum quæ fiunt, sed scientia visionis minime, hoc ex- pratur. 208

m 166

I N D E X.

- Scientia media ad quas & quantas difficultates tollendas in Theologia sit necessaria. 256
- Scotus quamuis fauere videatur prædeterminationi, eam tamen in actionibus liberis aperte rejicit. 217
- Sensus compositus dupliciter intelligi potest, & quo pacto. 268
- Simon Magus post Christum natum primus arbitrij libertatem sustulit. 198
- Subsequens gratia præueniens dici non potest. 75. Nunquam dici potest gratiam subsequi sine Pelagianismi nota. 76
- Subsequens gratia dicitur quæ cooperando arbitrio illud quodam modo subsequitur. 83. Subsequens gratia est eadem cum præueniente. ibid. Quibus modis subsequens à præueniente distincta esse videatur. 84. Ostenditur hæc non distingui. 85
- Sufficientis gratiæ ratio in quo posita sit. 94
- Superbum est quicquam de se præsumere. 1

T.

Theologi in quatuor classes distincti qui physicam prædeterminationem excluderunt, quorum primi sunt, qui hanc cum libertate arbitrij coherere non posse putarunt. 214. 215. alij qui non sunt ex familia D. Thomæ contra hanc sentientes. 216. Ex Schola D. Thomæ qui ei aduersentur. 218. alij qui scripserunt contra hæreticos, qui huius determinationis aduer-

I N D E X.

- sarij. 219
- D. Thomas nusquam de prædeterminatione mentionem fecit, & sic ab hac sententia quæ illam statuit, procul abfuit. 209. D. Thoma qui statuunt hanc prædeterminationem physicam, abutuntur. 210. Diluuntur eius loca, & ad illam nihil facere ostenduntur. 211
- Trahi est efficaciter vocari, venire autem consentire. 235
- Virtus nolétium nulla est, nec fides, nec spes, nec caritas sine consensu nostro esse potest. 203
- Vocatio efficax ab August. dicitur sine pœnitentia, & secundum propositum, alia, & secreta. 66
- Vocationis gratia nunquam est tam vehemens, ut libertatem impediatur. 232. Vocationi qui cedere non posse dicunt, hoc ideo dicunt, quia nolunt. 233. Vocatio nulla est quam non possit homo acceptare vel reicere. 237. vocatio alia & secreta sic agitur sensum, ut accommodet assensum. 245
- Vocatio sufficiens est, non qua quis ita vocatur, ut ei aptum est ut vocantem non spernat, sed quæ potest habere effectum, nisi negligeretur. 261. Vocatio congrua nulli non aptari à Deo potest, etiam si sit male dispositus & obstinatus. 265. Vocatio congrua, quamvis nullam vim inferat libero arbitrio: est tamen infallibilis. 266

I N D E X

Vocationis gratia tripliciter considerari potest, in sua essentia, sub morali quadam ratione & per ordinem ad actum liberum voluntatis. 269. 270. Vocationis qui habet paren. gratiam simul conuerti necesse est. ea. Vocationes duæ physicè æquales, ratione doni & beneficij sunt inæquales. 271. Vocatio congrua est longe maior, quàm non congrua. 273

Voluntas duobus tantum modis necessitari potest. 169. Voluntatem Deus nunquam prædeterminare potest, quin ei necessitatem inferat. ea.

Voluntatis consensus simul est à gratia, & ab homine. 29

Voluntas præparatur à Domino per gratiam efficacem. 104

Voluntatis actus quomodo sequi possit infallibiliter, etiamsi voluntas non determinetur à gratia. 147

*Deo Iesu Christo aeterni Dei coaeterno
Filio laus, & gloria.*

